


Sebastian Schmidt Johann Pannifex


Resolutio Brevis cum Paraphrasi Verborum Epistolae D. Jacobi Apostoli

Argentorati: Spoor, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788065408>

Druck Freier  Zugang






75.



Fa - 1092 (75)



75

18
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23

Tomo hoc **XXVIII** continentur:

1. Seb. Schmidii Commentarius in 1 Ep. Johannis A. 1688.
2. — Anal. et Paraph. Epistolae Jacobi Argent. 1685.
3. — De Fide thesauro circa Myst. S. Trinit. 1654.
4. — De Deletionē e libro Vita. 1655.
5. — De Inramentis ad Matt. V. et. xpm, eb. Argent. 1663.
6. — Invectivum Christi in Pharisaeos Ex. tu Matt. xv. 1661.
7. — De Didrachmis à Christo solutis. 1663.
8. — Fides miraculosa. 1680.
9. — De Fide à Christo arefacta. 1662.
10. — De merito. 1663.
11. — ad locum Jo. VIII, 25. 1661.
12. — ad locum Jo. VIII, 47. 1661.
13. — Resolutio brevis Cap. IX ad Rom. 1658.
14. — De Punitivae Resurrectionis Christo. 1666.
15. — De Baptismo Super Mortuos. 1656.
16. — De Angelis in genere. 1662.
17. — De Peccato Originis. 1657.
18. — De libero Hom. Arbitrio in Spiritualibus. 1658.
19. — De libero Hom. Arbitrio in non Spiritualibus. 1657.
20. — Πίστις ἡ ἰσχυροῦς. 1661.
21. — De Imputatione in opere Iustificat. 1656.
22. — De Phrasi Indurare. et excoecare. 1655.
23. — De Ecclesiae Catholicismo. 1657.

24. Sebast. Schmidig de Duabz circa Sacram. Circumcis.
Propositionibz. 1654.
25. —. De Statu Beatorum in Vita eterna 1675.
26. —. De Obligatione Form. Concordia. 1680.
27. —. Tractatibz Talmud. Sebachim. cūstmot. 1662.
28. Jo. Trifunius De Circumcisione Zypore. 1663.
29. —. De Eli Uli Lamah Sabatani. 1663.
30. —. An Christus Agmū Paschalem eodem cum Ind. tem-
pore ederet. 1674.
31. Balthazar Raithig de Cabala. ^{Tulz.} 1662.
32. Guilielmus Bajor de Præda Robusto erepta Inaclyp.
33. Jo. Feikti Expositio Oraculi Yaiami LIII. Argent. 1662.
34. Balth. Scheid de Protevangelio. Argent. 1650.
35. —. Jonac Propheta expositus. 1665.
36. —. Kikajon Jona. 1653.
37. —. ad caput ultimum Ultimi Propheta. 1664.
38. Lud. Hennig Munsteri Animalia esu vetita
Jona. 1687.
39. Zentgraff prolix. de eo quod Deum dicit Ag. 1677.
40. Georgi Calixti Expositio literalis Epiphesior.

Pro M. Jo. Philippo Storrio
1696. Heilbr.

RESOLUTIO BREVIS

cum

PARAPHRASI VERBORUM
EPISTOLÆ

D. JACOBI

APOSTOLI,

Cujus

IN PARTEM POSTERIOREM

DISPUTATIO POSTERIOR

SECUNDANTE JHOVA

PRÆSIDE

SEBASTIANO SCHMIDIO,

SS. Th. D. & Prof. Seniore, h. t. Rectore Magnifico,

Conventus Ecclesiast. PRÆSIDE, Capituli Thomani

Decano, undiquaque meritissimo,

*Domino Patrono, Promotore & Præceptore suo
perpetuo pietatis & obsequij cultu venerando*

Respondente

M. JOHANNES PANNIFICE, Lohrano.

gissetur

Addiē xxii. August. M DC LXXXV.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

VIRUM
MAGNIFICUM, AMPLIS-
SIMUM, PRUDENTISSIMUM
atq; CONSULTISSIMUM,
DOMINUM
FRANCISCUM
Reiszeissen/

Civit. Argent. Consularem,
XIII Virum gravissimum,

*Mæcenatem & Patronum
optimum,*

Disputatione hâc Theologicâ
tanquam sempiterno obsequii & gra-
titudinis signo, submissè veneratur

cliens humillimus

RESPONDENS.



כ"ב

Resolutio Brevis

Epistolæ D. Jacobi Apostoli

cum

Paraphrasi Verborum.

Proœmium.



Epistola D. Jacobi Apostoli *visa* *Proœmiū.*

est omnibus Christianæ Ecclesiæ Seculis non exiguas habere difficultates : nec immeritò. Cohærentia in primis in eâ rerum verborumque sollicitè inquisita, vix ulla esse apparuit, ut frustra etiam inquireretur. Centonem potius esse & farraginem sine ordine congestam, non pauci existimarunt. Causa si non una, si non maxima, inter tamen præcipuas procul dubio extitit, cur aded jam in vetustissima quoque Ecclesia de authoritate ejus Canonica dubitatum fuerit. Nos quemadmodum Canonicam ejus authoritatem haud inviti agnoscimus, ita præsupponere eandem hic, quam probare malumus. Cum vero etiam prolixum in Eam Commentarium scribere non liceat; *brevem tantum Resolutionem & paraphrasin*, pro ut Disputationis Academicæ modus præscribit & patitur, tentabimus. Faxit DEUS ter Optimus Maximus per Spiritus sui gratiam, ut labor non parum sane difficilis feliciter succedat, propter JESUM Christum Dominum Nostrum, Amen!

A

§. I. Ar.

30.

29.

28.

33

2

8.

3

2

1

2

11.

3

4

1

1

Argumen-
tum Epi-
istolæ.

§. 1. *Argumentum* hujus Epistolæ reprehensorium est viti-
tiorum & errorum ætatis crescentis Ecclesiæ Christianæ præci-
puorum; quibus Spiritui Sancto per hoc Apostoli scriptum oc-
currere visum est placuitque. Non enim occupatus est Aposto-
lus, sive in omnibus sive in præcipuis quibusdam fidei articulis
proponendis, exponendis, confirmandis: sed præmissis brevi-
ter certis ad fidem pertinentibus quibusdam punctis, contra quæ
sentiendo, loquendo, agendo peccatum est; errores mox & fa-
cta reprehendit severe, confutatque operose; sicut ipsa probabit
resolutio & paraphrasis in subsequentijs adjungenda.

Divisio
ejus.

§. 2. *Divisio* totius Epistolæ est in I. *Inscriptionem*.
II. *Certorum quorundam fidei punctorum propositionem*. III. *Er-
rorum factorumq; confutationem & redargutionem*, IV. *Conclu-
sionem*.

CAPUT I.

Caput I.
v. c. f. 1.

§. 3. Et I. quidem *Inscriptionem* habet v. c. f. 1. qui tradit
I. Epistolæ *Authorem primarum*, JESUM Christum & DEUM Pa-
trem, non excluso tamen Spiritu Sancto, per quem Pater Filius-
que movent, inspirant, docent. Ideò namque Apostolus se-
se *Servum DEI & Jesu Christi*, scilicet Apostolicum vocat, ut
doceat se Domino & Magistro DEO Christoque scribere, quod
scribat; atque sic Epistolæ suæ autoritatem veritatis infallibilis
conciliet. 2. *Autorem Epistolæ secundarium*; qui nomine *Jaco-
bus*, officio Apostolico *servus DEI & Jesu Christi Domini* 3. *eos*,
ad quos Epistola immediatè directæ est, omnes licet sua autorita-
te, ad quos mediate pervenit, obliget. Illi vero dicuntur *duode-
cim tribus, quæ in dispersione erant*, extra Judæam, in qua Apo-
stolus potissimum commorari solitus est. 4. *Salutationis votum*;

Paraphr.

Gaudere scilicet exoptat: *Ego*, inquit, *Jacobus*, inter primos *Judæo-
rum Doctores Apostolicos, DEI Patris & Domini Nostri Jesu Christi
Servus & Apostolus ritè & immediatè vocatus, vobis, quotquot ex
duodecim Israeliticis tribubus extra terram vestram inter gentes disper-
si, & ad Christum Iesum jam conversi estis, exopto uno verbo optima
& salutaria quæq; vobis gaudere.*

§ 4. Jara

§. 4. Jam II. sequitur certorum quorundam fidei puncto-
rum propositio, ejusmodi quidem, ut singulis aliqua vel aliqua sub-
jungantur aut inferantur breves gravesque rationes.

§. 5. Primum itaque fidei punctum est de Tentationibus ad
malum vers. 2. de ejusmodi namque tentationibus sermo est, qui-
bus DEUS neminem tentat, sed Satan, mundus & caro vers. 13. vers. 2.
De his tentationibus Apostolica *thesis* est; Gaudendum est ho-
mini Christiano, quando in varias tentationes incidit. Sed hæc
I. in admonitionis forma proponitur, ut simul & statim applica-
retur ad eos, ad quos scripta est Epistola. *Fratres, inquit, mei,* Paraphr.
*nolite contristari, quando in varias Diaboli, mundi, carnis propria
tentationes incideritis, sed arbitramini potius, rem esse, de qua summo-
pere omni Christiano gaudendum sit; ad quod propterea etiam gau-
dium vos adhortari non dubito.*

§. 6. Additur 2. ratio ab utili, hoc est, ab Effectu ejusmodi vers. 3.
tentationum desumpta: qui effectus est *ὑπομονή*, patientia, h. e. per-
severantia in fide. Non est intelligenda patientia afflictionum
corporalium; sed patientia internarum tentationum animæ,
quibus ut à fide & fructibus discedat, sollicitatur. Hæc vero est
patientia fidei, omnes ejusmodi tentationes superantis, & exerci-
tio earum corroboratæ; cujus verus propriusque effectus per-
severantia fidei constantis & invictæ. *Dixi, inquit Apostolus,* Paraphr.
*gaudendum esse omnibus Christianis, adeoque & vobis, si in varias con-
tra fidem tentationes inciderint: Rationem dicti hujus in promptu ha-
beo: Ejusmodi namque tentationes, respectu providentiæ & permissionis
divinæ, nihil aliud sunt, quam quadam fidei nostræ exploratio & pro-
batio. Exploratio autem seu probatio hæc fidei nostræ operatur gignit-
que ejusdem fidei patientiam, constantiam & perseverantiam: sicut
non ignotum vobis esse debet, quibus ordo divini beneplaciti pridem ex-
positus est, quod DEUS inter tentationes fidem nostram confirmet,
& constantem perseverantemque reddat.* vers. 3.

§. 7. Alterum fidei punctum est de fidei operibus seu fructi-
bus, qui perfecti, non hypocritici, nec mutili, sed integri & sincere vers. 4.
esse debeant. *Thesis* I. Apostolica est; Patientia opus perfe-
ctum habeto vers. 4. *Quando, fratres, fides vestra variis tentationi-* Paraphr.
bus Satana, mundi, carnis, insensissimis ejus hostibus, ad apostasiam

4 RESOLUTIO EPISTOLÆ

solicitata & exercita, patienter tamen perdurat & perseverat: dandum hoc quoque est opera, ut in bonis operibus fructus suos illa ferat, nec otiosa sit; fructus autem non foris tantum apparentes, sed ex corde sinceros; non inutilos suis debitis partibus, sed integritate sua perfectos; ut hypocritici non sint, sicut nec fides.

Id. §. 8. Ratio 2. huic quoque puncto subjungitur, eod. vers. 4. quam Apostolus sumit à debito Christianorum verorum; quod est, ut sint perfecti & sinceri, non autem hypocritæ. Debenz, inquit Apostolus, perseverant patienter fidei opera fructusque perfecti esse: ut sitis perfecti & sinceri, hoc est, veri Christiani, quales DEUS & Christus cupiunt, & vos esse debetis; non autem hypocrita DEO Christoque exosi: certe enim nisi opus fidei vestra perfectum & sincerum fuerit, ita ut in nulla re nullaque ex parte diminuti sitis, nec fides vestra vera, nec vos veri Christiani esse haberi que poteris.

vers. 5. §. 9. Tertium fidei punctum est de Sapiencia Christiana, & unde illa petenda sit: nimirum à DEO è cœlis, ut sit cœlestis & superna, non autem terrestris & mundana. Si cui, inquit Apostolus, deest sapiencia Christiana, sicuti adeo perfecti in hac esse non possumus, ut crescendum nobis in ea non semper sit; desideratque eam consequi: petat eam ab eo, qui solus eam dare potest, DEO nimirum, patre Domini Nostri Iesu Christi; Atque hæc 1. thesis Apostolica est. vers. 5.

Id. §. 10. Cui 2. rationes annectuntur quatuor (1.) à liberalitate divina erga omnes: dat enim πάντες, omnibus. ibid. (2.) à donatione gratuita; quia dat omnibus ἀ δωρεάν, simpliciter; sine omni pretio aut retributione. ibid. (3.) à commiseratione non exprobrante: quâ fit, ut petentibus defectum ejus cum non austeritate exprobet, non reprehendat repellatque; sed indigorum miserorumque misereatur, & promptè indigentia eorum subveniat, ibid. (4.) ab eventu exoptato certo: quo futurum sit, ut sapiencia, quæ petitur, certo obtineatur. ibid. Ut petatis, inquit Apostolus, à DEO veram sapienciam Christianam, rationes persuadentes habetis gravissimas; nam dat ille omnibus petentibus sine ullo discrimine, ut repudium nemo ferat: dat simpliciter & plane gratis, sine omni pretio aut compensatione: dat sine austeritate, exprobratione, atque reprehensione, cur non habeamus olim in creatione collatam, aut citius de ea petenda & impetranda solliciti fuerimus, & quæ his similia sunt; unde omni petenti datum iri, non est dubitandi ratio ulla; modorité & rectè qui petierit.

§. II. Quod

§. 11. Quod, vult 3. pergere vers. 6. Apostolus, limitationis
 & conditionis loco caute additum volo: petitionem namque quando dico, vers. 6.
 ad eamq; adhortor, intelligo eam, qua sit in vera & de exauditione certâ Paraphr.
 fide, sine omni hesitatione existente. Atque hoc tertium est, quod
 Apostolum habet de hoc fidei puncto, ut thesin suam de petitione
 ne sapientia, quantum ad ipsam petitionem, amplius exponat.

§. 12. Cujus ejusdem limitationis & expositionis suæ ite-
 rum rationem habet Apostolus: eamque (1.) sub similitudine flu-
 ctus marini, vers. 6. expositam (2.) perspicuis verbis vers. 7. nimi-
 rum, quia qui petens dubitat, spem non habet accipiendi quic-
 quam. Ratio, inquit Apostolus, quare in fide petenda sit sapientia, Paraphr.
 nec de datione dubitandum, hæc est; quoniam quisquis hesitans, num DEUS
 daturus sit, dubitat in hac re spiritali salutem ipsius concernente & Eccle-
 sia edificationem, similis est fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu
 rapitur. Quemadmodum ejusmodi fluctui maris hinc inde agitato &
 rapto nulla conceditur navis, ne misere pereat: ita ejusmodi homo hesi-
 tabandus ne existimet, quod DEUS ipsi sapientiam cœlestem concediturus
 sit, aut ipse eam à DEO accepturus, tanquam is, qui bona fide, quam non
 habet, eam administraturus, eademq; non usus non sit.

§. 13. Quartum fidei punctum proponitur vers. 8. 9. 10. 11. ita ut
 1. thesis vers. 8. hæc sit de viro animi duplicis h. e. non toto animo vers. 8.
 Domino adherenti, sed partim Domino, partim mundo ejusque
 voluptatibus & divitiis dedito: quem Apostolus ait inconstan-
 tem esse in omnibus viis suis, neque de rebus divinis, neque hu-
 manis certum, sed utrobique spe sua decidentem. Vir, inquit
 Apostolus, qui duplici corde est, hoc est, non simplici totoq; animo DEO Paraphr.
 adheret, sed cor suum inter DEUM & mundum dividit, duobusq; Dominis
 servire vult, inconstans est in omnibus viis suis, nec usquam subsistere potest,
 neq; DEO gratus, neq; in mundo beatus.

§. 14. Occultatur. 2. Consequens generale, neminem Chri-
 stianum esse debere hominem ejusmodi διδυχοῦ, duplicis animi,
 sed Soli DEO, non simul mundo, adhærere; ad evitandam tan-
 tam inconstantiam, non tantum periculosam, sed & æternam
 exitiosam.

§. 15. Subjunguntur 3. admonitiones duæ speciales: (1.) ad
 humiles h. e. pauperes & ignobiles in hoc mundo, ut glorientur
 in vers. 9.

30.

29.

28.

33

8.

2

11.

3

4



RESOLUTIO EPISTOLÆ

in sublimitate sua spirituali & cœlesti vers. 9. (2.) ad divites hujus mundi, ut divitiis suis non confidant, sed sub DEO, tanquam homines, spiritualiter se humiliant vers. 10. *Quare, inquit Apostolus, in particulari admonitos volo, tam humiles, quam divites, ut non si is duplici, sed simplici animo, Frater itaq; qui in hoc mundo humilis, pauper contentusq; est, non in hoc labore, ut ad honores divitiarq; voluptuosas hujus mundi perveniat, sed contentus sua sorte, DEO confidat, gloriaturq; ea sublimitate, quam in Christo habet, longe beatiorum & præstantiorum. Contra, qui dives est in hoc mundo, non superbiat, neq; confidat divitiis suis caducis, sed gloriatur potius in humilitate sua spirituali, quam in Christo habet salutarem per fidem in ipsum, & qua ipsum suo tempore in æternâ gloriâ exaltatura est.*

vers. 10.
Paraphr.

vers. 10. 11.

Paraphr.

vers. 12.

Paraphr.

§. 16. Cui duplici admonitioni, 4. gravis additur ratio, desumpta à caducitate hujus mundi, imprimis divitiarum voluptuosarum. vers. 10. 11. quæ eleganti comparatione cum herbis & floribus caducis effertur. *Cur enim, inquit Apostolus, frater humilis, pauper & ignobilis, appeteret divitias honoratas & voluptuosas hujus mundi? aut cur homo dives divitiis talibus mundanis consideret, & se illis dederet? Certè similes sunt divitiæ istæ herbis & floribus cito marcescentibus, prætereuntq; cum amatoribus suis. Sicut enim, quando Sol cum aestu exoritur, herba exarescit, & flos decedit: ita dives in viis suis mundanis & voluptuosis marcescet coram aestu iudicij divini, æternumq; peribit.*

§. 17. Tandem quintum fidei punctum est de perseverantia & patientia fidei sub afflictionibus hujus mundi quibuscunque vers. 12. *Thesis 1.* Apostolica est; sufferenda est tentatio tribulationum & afflictionum hujus mundi & vitæ, maximè quæ propter nomen Christi obveniunt. Inclusa hæc est verbis, *Beatus vir, qui suffert tentationem*, tanquam eorum consequens, Ergo patientia fidei ferenda est tentatio. *Thesi 2.* additur Ratio, à beatitudine sufferentis; *Beatus vir* &c. quæ beatitudo consistit (1.) in probationis laude, quam obtinet (2.) in æternæ gloriæ corona: eaque certissima, tanquam à DEO, qui fallere nescit, promissa. *Ferenda,* inquit Apostolus, *sunt tentationes afflictionum hujus vitæ patientia lubenti & fidei. Neq; quisquam se propterea, imprimis si pro Christo sustineatur, se existimet infelicem sed, ut revera est, beatum. Habet namq; in hac vita commodum hoc, quod probatus & confirmatus redditur; in altera*

altera vero vita coronam aeterna vita accipiet certo, tanquam quam DEUS, qui fallere nescit, omnibus iis, à quibus fuerit in perseveranti fide dilectus etiam sub afflictionibus, promissit.

§. 18. Accedit III. Apostolus ad Tertiam Epistolæ, quæ potissima est, Partem Reprehensionem scilicet, & confutationem errorum peccatorumq; in Ecclesiâ serpentium, contra præmissa fidei puncta, instituitque eam juxta eorundem punctorum seriem à vers. 13. Cap. I. inclusivè, usque ad Epistolæ Cap. V. vers. 19. in quo & vers. 20. Conclusio Apostoli comprehenditur.

§. 19. Primo itaque redarguit Apostolus errorem & peccatum gravissimum contra sanam puncti primi de tentatione peccaminola doctrinam. Error I. & peccatum hoc est, homines à DEO ad malum tentari vers. 13. Ab hoc errore & peccato gravissimo dehortatur I. Apostolus, ne quis, quando tentatur, ita dicat, ibid. 2. ei contradicit; ipse, DEUS, tentat neminem 3. refutat argumentis. (1.) ab absurdo consequenti, quod, si DEUS quenquam tentaret ad malum, sequeretur DEUM ipsum tentari ad malum etiam, quod absurdum & impossibile est. Ratio consequentiæ est; quia si DEUS tentaret ad malum, in ipso esset malum, à quo ipse impulsus & tentatus tentaret etiam homines. vers. 13. Proposui, inquit Apostolus, pauca, numero scilicet quinque, doctrina fidei puncta; quandoquidem autem non ignotum mihi est, quantopere à multis ex vobis contra ea peccetur; ut necessarium etiam duxerim, ea, quibus peccatur, redarguere in hac meâ Epistolâ & operosius confutare. Primo itaque, quando de tentationibus ad malum sermo est, quosdam intellexi tam improbos esse, ut dicere audeant, DEUM ipsum homines tentare, cui ideo obedire malum facendo, peccatum non sit. Ego verò hic strenuè contradico & affirmo, DEUM neminem tentare ad malum. Rationes namq; habeo gravissimas. Ex quibus prima ad absurdum deducit: Nam si DEUS quenquam tentaret ad malum, oporteret etiam ipsum DEUM tentari ad malum. Atqui hoc absurdissimum est: DEUS namq; ad malum & à malo tentari non potest per naturam suam.

§. 20. Alterum (2.) Argumentum sumitur à vera tentationis ad malum causa; quæ est concupiscentia hominum propria vers. 14. 15. quæ causa partim traditur claris his verbis; unusquisq; autem tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. vers. 14. partim

30.

29.

28.

33

2

8.

2

1

11.

3

4

vers. 13.

Paraphr.

vers. 14. 15

partim processus ejus in peccando describitur; A propria concupiscentia homo abstrahitur; deinde concupiscentia postea quam concepit &c. vers. 14. 15. *Contra vero, inquit Apostolus, vera tentationis ad malum causa est propria hominis concupiscentia, Diaboli instinctu & mundi scandalo adjuta: hæc cum operosissima sit, tentat hominem, persuasionibus suis abstrahit & inescat donec ad proponendum malum hominem perducit, atq; adeo in proposito peccatum quasi concepit; quod quando concepit, mox etiam infelici partu edit, atq; perficit: id verò perfectum mortem progignit, etiam in regeneratis.*

vers. 16. 17

§. 21. Tertium (3.) argumentum depromitur à contrario: omnino donatio bona, seu Nulla nisi bona donatio & perfecta è supernis seu à DEO est, peccatum vero non potest esse donatio bona & perfecta; ideoque à Deo non potest esse per tentationem ad malum; nec ipsa tentatio ad malum, tanquam ipsa etiam mala, à DEO esse potest vers. 17. *Omnis, inquit Apostolus, donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, atq; adeo omnis donatio non bona, omne donum non perfectum è supernis seu à DEO non est. Iam vero notissimum est, vel saltem esse debet, quod neq; peccatum, neq; tentatio ad peccatum boni & perfecti quicquam sit. Quomodo ergo sive peccatum, sive tentatio ad illud è supernis seu à DEO esse potest? Hujus argumenti Major ne negetur, occupat, per erroris redargutionem: Ne erretis &c. h. e. qui aliud dicit, scilicet non omne donum bonum è supernis esse, gravissimè errat.*

vers. 17.

§. 22. Quartum (4.) argumentum est ab immutabilitate DEI per impossibile: DEUM esse Patrem Luminum, nec permutari posse in eo lucem & tenebras, sed plane immutabilem esse; unde prorsus impossibile esse, ut peccatum, quod ad tenebras pertineat, ab ipso ipsiusque tentatione sit. v. 17. Quo argumento simul occupatur exceptio ad id, quod in Argumento primo Apostolus dixit, DEI naturam ejusmodi esse, ut à malo nequeat tentari: ubi si quis excipere velit, mutari tamen ita posse, ut à malo tentari queat, repellitur per id, quod hîc dicitur, non esse apud ipsum vicissitudines lucis & tenebrarum. *Non tantum, inquit Apostolus, omne donum bonum & perfectum à DEO è supernis est: sed DEUS etiam est Pater luminum, prima lux, à quo omne lumen est, quodcunq; extra illum est; lux immutabilis, adeo nulli transmutationi obnoxia,*

Paraphr.

ut ne quidem ejus aliqua umbra in ipsa sit. adeoq; impossibile prorsus sit, ut aliquid tenebrarum peccati in ipso esse incipiat, aut ex ipso veniat.

§. 23. Quintum confutationis argumentum, ducitur à *contraria DEI in hominibus operatione*. Regeneratione scilicet. DEUS namque est, qui volens & sciens, non coactus & nescius, regenerat homines per verbum veritatis, ut primitiæ veritatis in ipsis incipiant, per quas ipsi sint primitiæ quædam creaturarum DEI. Jam vero qui regenerat homines in veritate ad bonum, non potest eos tentare ad malum. Contraria namque non possunt esse simul. *Idem DEUS & Pater luminum*, inquit Apostolus, *propria voluntatis bona motu & proposito nos homines, qui natura mali sumus & filij ire, regeneravit per verbum veritatis seu Evangelium, nobis predicatum, justitiamque veritatis in nobis reparare cepit, atq; hac ratione fecit primitias præstantissimas creaturarum suarum inter omnes homines: quomodo ergo fieri posset, ut ad malum tentet nos? si malum in nobis vellet, non crearet nos in bonum.* vers. 18.

§. 24. Atque hæc confutationis argumenta sunt. Jam (4.) Apostolus corrigit, & ad meliora revocat errantes, subjunctis utilissimis doctrinis. Quarum prima est, ut sit omnis homo velox ad audiendum scilicet verbum veritatis, per quod regeneramur: ut de peccati & tentationis ad peccandum causa nihil sentiat aliud, quam quod in hoc traditur; ex quo etiam argumenta confutationis deprompta sunt vers. 19: 2, ut sit tardus ad loquendum de re adeo magni momenti, causa tentationis ad malum, aliisque rebus spiritualibus ibid. 3, ut sit tardus ad iram impatientiæ, quæ causa est, cur impia & blasphema effutiantur contra DEUM ab hominibus ibid. Ubi adjungitur ratio à natura affectus iræ desumpta; quod nunquam justitiam DEI, seu quod coram DEO justum est, operetur. vers. 20. *Quæ cum ita se habeant*, inquit Apostolus, *sicut argumenta confutationis probaverunt: nemo certè vestrum posthac dicere debet, DEUM causam tentationis ad malum esse. Contrà verò paternè vos adhortor, ut sitis (1.) veloces ad audiendum verbum veritatis, quod de hoc quoq; puncto veritatem vos docebit. (2.) tardi ad loquendum, ne præcipitata lingua imprudentes tam impia effutiat. (3.) tardi ad iram ex impatientia pugne adversus tentationem carnis ad malum oriundâ. Quod namq; in universum verum est,*

B

iram

30.

29.

28.

33

2

8.

2

11.

3

4

iram viri iustitiam DEI non operari, id vel maxime de impatienti ista ira verissimum est.

vers. 21.

§. 25. 4. Ut in cognitione verbi, deposita omni malitiæ

Paraphr.

forde magis magisque crecant, cum mansuetudine sine iracunda impatientia vers. 21. additâ tum ratione ab utili; quod Salvaturus sit ipsos sermo insitus ibid. Ita porro, pergit Apostolus, (4.) *estote veloces ad audiendum verbum veritatis, ut auditio per obnitentem carnis impuritatem & malitiam superantem non corrumpatur & excidat; ut verbum, quod jam per regenerationem implantatum vobis est, cum mansuetudine iram impatientiamq; carnis resistentis suppressente, suscipiatis admittatq;: hoc namq; si feceritis, verbum istud animas vestras salvas facere poterit.*

vers. 22.

§. 26. Tum prudenti cautelâ; tunc verbum posse salvas facere animas ipsorum, si non tantum sint auditores, sed etiam factores verbi vers. 22.

Paraphr.

Quam cautelam suam Apostolus præcepto adhortatorio profert; *Estote vero factores verbi &c.* Dixi, inquit Apostolus, quod sermo insitus salvas facere possit animas vestras: quod intellectum volo, si non tantum auditores verbi sitis, sed factores etiam ejus; ad quod vos propterea serio adhortor.

Id. vers.

§. 27. Cautelæ suæ Apostolus gravissimas habet rationes. Quarum 1. ab erroris turpitudine. Quis enim turpior error est, quam si quis seipsum decipiat falsâ suâ opinione? *Si namq;* inquit Apostolus, *putaveritis, quasi sufficiat esse auditorem verbi, proferet turpiter vos ipsos decipitis: quo errore quis turpior magisq; noxius?*

Paraphr.

vers. 23.
24.

§. 28. 2. Ab incommodi seu damni magnitudine: per similitudinem cum homine faciem suam nativam in speculo conspiciente turpem, sed mox turpitudinem ejus obliviscente, nec abstergente: qui non tantum non pulchrior redditur, sed aucta magis magisque turpitudine risui se omnium exponit. Talis quoq; est auditor verbi, qui auditor tantum verbi est, non factor: nam in verbo, tanquam speculo spirituali, intelligit nativæ suæ faciei seu corruptionis turpitudinem moresq; perverfos, sed ita abiens, ejus obliviscitur, ut faciendo meliora, quæ verbum monstrat, non corrigat vitam suam, sed turpitudinem suam magis augeat, DEO, Angelis, piis æterno contemptui & risui se exponens. *Is enim porro, inquit Apostolus, qui verbi tantum auditor, non autem factor est, similis est viro*

Paraphr.

stulto

Stulto, qui turpitudinem quidem faciei suae, quam à nativitate sua habet, in speculo accuratè videt & agnoscit; sed licet consideraverit probè, se turpem valde esse. cum primum tamen à speculo discedit, statim obliviscitur, qualem se deprehenderit, nimirum turpissimum, nec de abstergenda faciei suae turpitudine aut quocumq; modo corrigenda cogitat. Talis namque revera homo quivus est, qui audit quidem verbum DEL, atq; ex eo intellegit discitq; naturalis corruptionis seu peccati originalis turpitudinem, cum pessimis fructibus ejus. sed non facit verbum, sed cum primum audivit intellexitq; turpitudinem suam istam, abit, & ejus statim obliviscitur, ita ut de abstergenda, deponenda corrigendaq; eà ne quidem cogitet amplius, contra vero pessimis ejus fructibus seu peccatis magis magisq; se immergens, quotidie reddatur deterior; damnum aucta in se turpitudinis ipse ferens, & tandem in eternum contemptum conjiciendus vers. 23, 24.

§. 29. 3. A contrarii commodi excellentia; quod commodum beatitudo est: si quis nimirum verbum non tantum audivit, sed in corde etiam sine oblivione custodiat, ita ut illud faciat, & secundum illud vitam suam instituat, moresque corrigat in vera fide. *Contrà* verò, inquit Apostolus, si audiat quis legem perfectam, hoc est, verbum totius scripturae sacrae, legis & Evangelij, quod supra dixi esse verbum, quod possit animas vestras salvas facere, adeoque nunc merito legem seu verbum perfectum libertatis voco, tanquam quod vos perfecte à peccatis & damnatione liberos facere possit: qui, inquam, hoc verbum audiverit, inq; illud penitus introspexerit, ita ut non tantum nativam suam corruptionem & turpitudinem ex eo perspiciat, sed & quomodo quibusve mediis eam magis magisq; deponere, atq; ab eà liberari in Christo fide apprehenso queat & debeat, tandemq; ad finem usq;, faciendo haec omnia, in fide perseverando, fideiq; fructus ferendo, seq; adeo magis magisq; corrigendo, in eodem permanet & perdurat; hic certè tanquam non obliviosus auditor, sed factor etiam verbi, beatus erit in Ecclesia & in caelo gloriae factione ista fideli & pia vers. 25.

§. 30. Tandem (5.) Apostolus gravem adhibet comminationem, si quis admonitioni ipsius autem non praebuerit; cum contraria promissione, si eam prompte admisit. Comminatio (1.) hæc est, quod si quis linguam non frenaverit, quo minus dicat, quum tentatur, se à DEO tentari ad malum, adeoque manserit velox ad loquendum ejusmodi impia contra vers. 19. corque suum

suum deceperit obdurando in ista malitia, quasi malitia impia non esset, quantumcunque sibi in externis reliquis visus fuerit religiosus & Christianus, vana tamen sit tota religio ejus, & cultus Christianus hypoeriticus, æternam merens condemnationem. vers. 26.

§. 31. Promissio (2.) hæc est, quod si quis admonitionem Apostolicam admiserit, ita ut non dicat tentatus ad malum se à DEO tentari, sibi in malitiæ suæ sordibus ipse blandiens, sed in vera fide vitam suam corrigat, tentationibus carnis non indulgens, sed resistens, ita ut hæc generalia Christianæ vitæ præcepta observet, in visere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, immaculatum servare seipsum à mundo, ejus tota religio cultusque fidei Christianæ purus erit & immaculatus apud Deum & Patrem in Christo nostrum, qui eum etiam pro filio suo accepto agnoscet & tandem hereditate vitæ æternæ beabit.

Paraphr.

§. 32. Si quis vestrum, inquit Apostolus, ea, quæ hæcenus contra gravissimum errorem, quasi DEUS causa tentationis ad malum, ad eog ipsius etiam peccati existat, dixi, confutando & dehortando, non atenderit, nec linguam suam, ne talia amplius effutiat, frenaverit, sed cor potius suum, quasi non erret, persuadendo deceperit, inq; errore obdura-verit, quantumcunque sibi de religione sua atq; Christianismo, tanquam vero & inculpabili, imaginatus fuerit, sciat tamen, quod tota sua religio & Christianus cultus totus vanus sit, hypoeriticus, damnabilis. Contra vero, si quis doctrinam correctionemq; meam admiserit, ita ut inviset, secundum generalia Christianismi præcepta, orphanos & viduas in afflictione ipsorum, seq; ipsum à mundo, & nominatim ista mundi blasphemia impietate, qua DEUS tentationis malæ & peccati auctor statuitur, atq; adeo impiè vivitur, immaculatum servet, us certo credat, suum cultum & Christianismum fidelem DEO & Patri acceptissimum, se hujus cælestis patris in Christo filium, & vitæ æternæ heredem esse.

CAPUT II.

Caput II.

§. 33. Hæcenus Apostolus primum doctrinæ suæ Caput contra pestilentem Manichæismi nascentis errorem de tentationis ad malum Causa vindicavit. Jam alterum vindicare, & contra illud peccantes redarguere incipit. Caput autem seu punctum istud doctrinæ secundum Cap. I. vers. 4. comprehensum, hoc erat,

Quod

Quod patientia, seu fides in omnibus tentationibus mali patiens & vincens, habere debeat opus perfectum integri & sinceri cordis, non mutilum & hypocriticum. Contra hoc, tempore Apostoli, peccabant etiam in Ecclesia multi, externa potius fidei professione & conversatione contenti, quam internam ejus sinceritatem & naturam observantes, verosque ejusdem in bonis operibus fructus attendentes. Hoc vero veræ fidei opus perfectum nullo modo est, sed hypocriticum; in judicio divino nullo modo subsistens. Ideo jam Apostolus graviter reprehendit & confutat.

§. 34. Vocat autem, *primò*, errorem istum de externa professione fidei & conversatione in Ecclesia *περὸσωπολήσις*, *personarum respectus*: quod, quemadmodum personarum respectus illicitus committitur, quando externa, non autem justitia & innocentia personæ, attenduntur, ita in hypocritica quavis externorum in fide & Christianismo observantia se quoque res habeat; nec ut acceptio personarum in Ecclesia & in rebus Ecclesiæ clarum & notatu dignum sit exemplum.

§. 35. Errorem istum hypocriticum, *secundò*, Apostolus hunc, facit, quo fidem homines, Christianismum profitentes, in respectibus personarum habent, hoc est, sibi imaginantur, fidem veram Christianam admittere ejusmodi personarum respectus, ita ut ipse ante omnes DEUS talis *περὸσωπολήσις* sit, qui in fide etiam ipsa externa personarum, quoad fidei professionem & qualemcunque in Ecclesia conversationem, attendat, nec internam fidei in corde naturam sinceritatemq; curet, adeoq; homini Christiano etiam sufficiat, si *περὸσωπον* seu externa talia fidei & Christianismi curet, iis studeat & contentus sit, & similiter aliorum quoque Christianorum personas in externis talibus respiciat. Errorem hunc multorum turpissimum Apostolus *vers. 1.* his verbis indicat; *Frates mei, ne in respectibus personarum habete fidem Domini nostri Jesu Christi, Domini gloriae. q. d. Intellexi praterea, fratres mei, esse multos inter vos, qui fidem Domini nostri Jesu Christi, Domini gloriae, in respectibus personarum habeant, putentq; in & cum respectibus externorum eam subsistere & consistere posse, quemadmodum ipse DEUS personas atq; externa tantum spectet, nec internam fidem cordis sinceri, in bonis operibus operosam, curet.*

Paraphr.

- Id. vers. §. 36. Errorem hunc jam II. Apostolus graviter redarguit sub dehortationis formâ: Esse eum contra doctrinæ veræ supra propositæ Caput seu punctum alterum; quo dictum, quod patientia fidei perfectum opus habere debeat; istud namque opus non perfectum, sed hypocriticum esse, adeoque maximo opere fugiendum; unde ad ejus fugam serio admonitos velit vers. 1. *Malus cum sit, inquit Apostolus, imò pessimus, personarum iste respectus; idèd serio vos admonitos volo, ne in respectibus personarum fidem habeatis Domini nostri Jesu Christi.*
- vers. 2. 3. §. 37. Confutat III. Apostolus eundem errorem, & peccatum esse contra legem divinam gravissimum convincit. Ut verò brevius & clarius faciat, Exemplum 1. de casu *δεσποτικῆς* seu respectus personarum non subtilioris, sed crassioris proponit aliquod, ex quo de subtilioribus quoque casibus judicari queat. Casus hic est, (quem quum Apostolus perspicuis verbis efferat, non opus proluxa erit paraphrasi;) *ingreditur in cœtum seu conventum Christianorum sacrum vir aliquis (dives) aureum gestans anulum, in veste splendida (atque adeo quoad externa eximius;) ingreditur vero etiam in eundem (vir alius) pauper in veste sordida (atque adeo quantum ad externa plane inconspicuis.) Is qui præest cœtui sacro, vel plures, qui præsumt, respiciunt eum, qui vestem gestat splendidam, cum δεσποτικῆς affectu, & sola externa, non interna qualia sint & quam exigua vel nulla, dicuntque illi: Tu sede hic benè, pauperi autem dicunt Tu sta illic, vel sede hic subter scabellum pedum. Hic casus ab Apostolo formatur vers. 2. 3. non enim vero simile est, quod hæc tam inciviliter & inurbanè in Ecclesiis Christianis facta sint: nimis enim profecto fuisset rustica inurbanitas in viris, qui conventibus sacris præfuisent. Formatur itaque casus, poniturque, quasi factus fuisset: sicut infra vers. 15. alius de fratre egente & quotidiano victu destituto casus ponitur. Hinc etiam versus secundus à conditionali incipit; *εάν, si enim ingrediatur &c.**
- vers. 4. §. 38. Ad propositum 2. casum hunc respondetur ab Apostolo: sed Artificiose, ut per interrogationem de ejus indubia veritate compellet quorumvis conscientiam; annon revera sic se res habeat. Responsio autem hæc est, quod si qui fuerint, qui id, quod in casu positum est, faciant, illi revera dijudicent seu discrimen

discrimen ejulmodi inter divitem splendidum & pauperem sordidum faciant; neque ex DEO verbique Divini præscripto, sed in se ipsis & ex se ipsis seu corruptione sua prava faciant, & judicent ex cogitationibus suis pravis affectuque *περὸ σωποληψίας* turpissimo & manifestissimo vers. 4. *Annon, inquit Apostolus, dijudicaveritis in vobis ipsis vestraque prava corruptione, non autem ex DEO, juxta DEI verbum, & ex fide Christianâ? num dici poterit, quod non facti sitis iudices, qui ex pravis affectibus cogitationibusq; judicium ferant? nonne manifesta & crassa περὸ σωποληψία est? negare certe non poteritis, in conscientia vestra convicti.* Ita namque textum communiter legunt. Quod si Ellipticum quis, in quo *σοφδοσις* omiſſa sit, fecerit: idem tamen sine dubio sensus esse debet.

§. 39. Responſionem 3. suam Apostolus, quamvis tam manifesta veritatis sit, ut etiam conscientias omnium compellare ausus sit, confirmat tamen, ut amplius conscientias vincat, etiam eorum, qui veritatem ægre admittunt. Confirmat autem non uno argumento (1.) quia constat satis, non tantum ex Verbo DEI, sed ipsa etiam experientia, quod DEUS in Christo sibi elegerit pauperes hujus mundi, divites in fide, ut sint heredes regni, quod promisit iis, qui ipsum diligunt. De quo cum constet, iniquissimum sane & indignissimum esset, si ab hominibus, & quidem Christianis, qui DEI filii & imitatores esse debent, tanto contemptui publicè coram Ecclesia exponantur, non alia profus de causa, quam quod pauperes sint, & divitiis hujus mundi destituti vers. 5. 6. compellat autem eos Apostolus humaniter, conscientiamque eorum, per gravem simul interrogationem: monetque ejus, quod pridem noverunt, vel nosse saltem debuerunt. *Audite, fratres mei, inquit, dilecti in Christo (tales namq; adhuc vocare non dubito) nonne Deus in Christo Domino nostro elegit sibi, ad vitam æternam, in eodem Domino nostro, eos homines, qui pauperes sunt in hoc mundo secundum divitias hujus mundi caducas, sine respectu personarum, quotquot in fide divites sunt usq; ad finem, adeoq; dignos juxta Evangelium, ut sint heredes regni cœlestis, quod promisit iis, qui ipsum in vera fide per charitatem operosa diligunt? Ita sane est, nec DEUS externa hîc respicit atq; personam, que juxta mundum contempta est; sed interna spectat, fidem imprimis per charitatem operosam, juxta quam non contempti, sed divites sunt; atq; fideliter suam servat promissionem, quâ iis, qui tales fuerint, hereditatem*

30.

29.

28.

33.

2

8.

3

2

11.

3

4

1

hereditatem regni cœlestis promisit. Potestis hoc vel ex sola experientia discere. Videte enim vocationem vestram, fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi claro genere nati: verum quæ stultiæ erant secundum mundum, elegit DEUS, ut pudesceret sapientes; & quæ erant imbecillia in mundo, elegit DEUS, ut pudesceret ea, quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo contempta, elegit DEUS, & quæ non erant, ut eas, quæ sunt, obliteraret. Quæ cum ita se habeant, quam indignum ergo est, quod vos ejusmodi pauperes per turpem & contumeliosam non tantum ipsi contemptui habeatis, sed contemptui etiam universa Ecclesiæ exponitis? Nonne manifestè gravissimi peccati hinc convincimini.

Id. vers. 6.
Paraphr.

§. 40. Sed audite (quod secundum argumentum est) porro, fratres mei, nonne experientia ipsa vos hoc quoque de divitibus, quorum personam vos respicitis, docet, quod divites tyrannidem in vos exercent, iidemque vos trahant ad tribunalia? Qui namque sunt, qui hactenus persecuti atrocissimè sunt Ecclesiam Christi & fideles? nonne sunt divites & potentes in hoc mundo? atque adeo abutuntur externis hujus mundi istis, propter quæ personam eorum vos respicitis? Quare ergo tantum de ejusmodi hominibus presumitis? Manifestum profecto iterum est, quam indignum sit, et alium hominum personam à vobis respici, & quidem cum contemptu fidelium pauperum in Ecclesiâ. Atque hoc alterum Apostoli confutationis argumentum est, in vers. 6. adhuc comprehensum, à damno, quod divites hujus mundi intulerunt Ecclesiæ Christi, desumptum, iterumque gravibus interrogationibus conscientias fidelium compellans, & convincens, experientia autem ita confirmatum, ut ulteriori probatione non opus habeat.

vers. 7.

§. 41. Cujusmodi tertium quoque argumentum est, hoc est, experientia etiam manifesta comprobatum, desumptum autem à blasphemia divitum contra nomen Christi, quod Christiani colunt: quod indignius adhuc in divitibus hujus mundi est, & longè gravius, quam prius, peccatum. Nec satis est, inquit Apostolus, divites hujus mundi Ecclesiam & fideles persequi: Experientia enim hoc quoque docet, quod iidem etiam optimum & sanctissimum Christi Jesu nomen, quod super vobis & nobis vocatum est, & à quo vos nobiscum Christiani denominati estis, impiissime blasphemant. At vos honoratis ejusmodi homines præ piis fratribus, qui ipsum Christum Salvatorem vestrum summa afficiunt & blasphema ignominia, ex solo personarum respectu. Nonne hoc quoque indignissimum est? v. 7.

Paraphr.

§. 42. Se-

§. 42. Sequitur quartum Apostoli argumentum, sum-
ptum à præcepti divini, Christianis inter præcipua commendati,
prævaricatione inexcusabili verl. 8. 9. Præceptum hoc est, *diliges
proximum tuum sicut teipsum.* Quod præceptum νόμον βασιλικόν,
Legem regiam vocat, non tantum quod à summo Rege, DEO, la-
ta sit, sed etiam quod æterna & inviolabilis, ne ipsa majestas sum-
mi Regis violetur; quòdque inter reliquas leges seu præcepta quæ-
dam quasi Regina sit, tanquam quæ, ut mox subjicitur, totam
secundam tabulam complectitur. Hæc itaque lex seu præceptum
Regium omnibus Christianis etiam servanda est, ut benè faciant,
si eam servant. Jam vero respectus personarum gravissimè eam
lædit, adeò ut ipsa hæc lex redarguat & damnet omnes eos, qui
personam contra dilectionem proximi in eâ præceptam respici-
unt, tanquam transgressores damnandos. *Si legem quidem,* in-
quit Apostolus, *regiam illam æternamque, juxta scripturam, que eam* Paraphr.
nobis quoque Christianis commendat, Diliges proximum tuum, sicut te
ipsum, perficis, benè facis; facienda enim omnino nobis est: at si perso-
nam respicis, imprimis tam crasse & turpiter, cum contemptu piorum
pauperum in Ecclesia, profecto legem istam non servatis, sed gravissimè
contra eandem peccatis; unde ab hac ipsâ lege, tanquam ejus transgres-
sores, redarguimini & damnamini. Cum ergò tantopere contra legem,
de diligendo proximo, peccet θεσωποληψία seu respectus personarum:
certè fides Christiana eam admittere nequit, vosque à peccato isto abstinere
& cavere vobis debetis.

§. 43. Hic verò objectioni occurrendum esse visum est
Apostolo. Cogitare namque poterant fideles, ad quos scripsit,
quod, si utique θεσωποληψία seu respectus personarum contra
legem divinam de diligendo proximo peccaret, non tamen pro-
pterea damnandi sint, sicut ab Apostolo fieret, transgressores;
modo legem DEI in cæteris, quæ præcepta sunt, servarent; pec-
catum namque unum, grave etiam, non statim per se mortificare,
ut loquuntur, omnia hominis fidelis bona opera. Ad hanc ob-
jectionem respondet Apostolus, verl. 10. 11. omninò mortificare
posse omnia alia bona opera vel unicum peccatum. Cujus asser-
tionis fundamentum est, quia unus omnium legum legislator est;
cujus autoritas, cum per omnia præcepta se extendat, per omnia
C etiam

Paraphr.

etiam præcepta læditur; si in uno læditur: omnium enim una eademque ratio est. Non est, inquit Apostolus, ut hic quisquam objiciat, si utique peccetur per acceptionem personarum contra præceptum regum illud, diliges proximum tuum, sicut te ipsum, non tamen statim propter ejusmodi peccatum homines, saltem qui cætera legis præcepta servant, non mæchaberis, non occides &c. damnantur. Frustra namque est hæc objectio, adeo, ut ego contra ausim dicere, & in spiritu quidem sancto, Quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno tantum, factus est reus omnium: unde ultrò sequitur, quod si quis per respectum personarum solum contra legem de diligendo proximo peccaverit (sicut jam peccare acceptorem personarum non potestis amplius convicti negare) is totius legis reus factus sit, tanquam qui totam legem transgressus sit, adeoque merito à lege damnatur. Assertionis hujus mæ, inquit porrò Apostolus, rationem habeo gravissimam; quia nimirum, unus totius Legis omniumque ejus præceptorum Legislatur est, sicut notum. Certè, enim, qui dixit, ne mæcheris, dixit etiam, ne occidas: atque sic per omnia præcepta una eademque est unius legislatoris autoritas & majestas, quæ in singulis præceptis ita violatur, ut qui eam in uno præcepto violare audeat, violare etiam in reliquis non vereatur. Unde consequitur, quod si non fueris mæchatus, occideris tamen, factus sis transgressor totius Legis. Hæc postquam Apostolus ad objectionem præoccupando respondit, pergit in argumentis suis.

xerf. 12. 13

§. 44. Addit itaque prioribus quintum argumentum: quod sumit à tremendo DEI judicio contra acceptores personarum, quod contra hos certò futurum gravissimum. Judicandos namque dicit Apostolus Christianos *ἀπὸ νόμου ἐὰν ἴθις*, per legem libertatis, quæ est tota scriptura & ex eâ tota doctrinâ Christiana salutaris, hoc est, Evangelium & Lex, quæ ita consociantur in divino judicio, ut Lex judicet & damnet, quos Evangelium non liberat à damnatione legis, sed illi contra Evangelium peccantes à Lege gravius damnentur. Exempli gratia (quod ipsum Apostolus hîc habet & applicat) Evangelium Misericordiam DEI in Christo hominibus prædicat, & per fidem credentibus applicat. Ex quo hoc consequitur, quod qui misericordiam DEI in Christo per fidem impetravit, debeat etiam misericordiam erga proximum exercere, & contra, quod, quicumque misericordiam DEI in Christo per fidem consecutus, misericordiam erga proximum non exercet,

exercet, misericordia DEI se iterum indignum faciat, & damnationi legis se denuo obnoxium reddat. Ubi Lex jam immisericors, secundum rigorem suum per Evangelium non amplius inhibita, judicium fert; judicium nimirum hoc immisericors debetur ei, qui misericordiam non fecit, postquam ipse à DEO misericordiam consecutus est. Sicut è contrario, si quis misericordiam DEI in Christo per fidem consecutus, misericordiam etiam erga proximum suum exercet, pro eo gloriatur misericordia DEI seu Evangelii contra judicium legis rigorosum, hunc in sensum; contra eum, inquit Evangelium, qui misericordiam DEI in Christo per fidem consecutus, & in fide misericordiam quoque erga proximum ita exercuit, ut misericordiam DEI imitatus ea DEI misericordia se indignum non fecerit, sed sub gratia adhuc, non sub lege sit; contra hunc, inquam, tu lex non habes judicium tuum rigorosum & immisericors, sed ab eo per me liberatus est. Hac sufficienter *ἐπιπέσει* verba Apostoli vers. 12. 13. *Veluti per legem libertatis judicandi: siquidem judicium atq; immisericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, & gloriatur misericordia adversus judicium.* Atqui, vult jam subsumi Apostolus, quisquis ita est acceptator personarum, ut misericordiam erga pium pauperem non exerceat, sed eum immisericorditer & apud se contemnat, & publico Ecclesiæ contemptui exponat, is misericordiam utique non exercet. Ergo immisericors judicium Legis experturus est. Hoc verò judicium ut effugiant Christiani, hortatur eos Apostolus. vers. 12. *Ita loquimini, & ita facite, veluti per legem libertatis judicandi, ne per hanc immisericors Legis judicium vos condemnet, sed contra misericordia Evangelij pro vobis vestraq; salute adversus istud legis judicium rigorosum gloriatur.*

§. 45. Sed hic jam longe difficilior exoritur objectio contra hoc argumentum, vers. 14. indicata verbis; *qua utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, facta vero non habeat? num potest fides salvum facere illum?* Unde sic colligitur; si ita se res habet, Apostole, sicut dicis, quod immisericors judicium obventurum sit ei, qui misericordiam non exercuerit Christianus: non verum amplius erit, quod nos ab initio statim conversionis nostræ ad Christum edocti sumus, solam fidem justificare & salvum facere

hominem. Ita namque non amplius solam fidem, sed operâ quoque, imprimis misericordiæ, bona à nobis exigis: ergo male nos hactenus credidimus, & male tu tuique coapostoli nos olim docuistis; aut male saltem aliam Tu nobis jam adfers & urges doctrinam, qua nobis jam dicendum sit, non solam fidem justificare, & salvos nos facere, sed fidem & opera simul tam justificare, quam salvos nos facere. Unde vero nova hæc doctrina? Longe difficiliorem meritò dixi hanc objectionem, quam propterea etiam Apostolus in consequentibus operose soluturus est.

§. 46. Ita autem procedit Apostolus, ut (I.) distinguat fidem: quòd facilior sit responsio. Distinctio autem fidei hæc est, qua fides alia est, quæ opera habet; alia autem quæ opera non habet, sed in nudis verbis consistit. De fide, quæ non in verbis seu professione consistit, sed opera etiam habet, verissimum esse, quod sola justificet & salvet. Contra hanc vero se nihil quicquam statuere aut dicere; quin hanc ipsam esse, de qua supra dixerit, patientiam fidei scilicet, vel ipsam fidem opus debere perfectum habere, quamque adhuc urgeat. Quantum vero ad fidem, quæ opera non habet, se confidenter dicere, tantum abesse, ut sola justificet, ut sola salvet, ut potius nullam prorsus etiam utilitatem habeat. Hanc itaque esse, contra quam disputet, tanquam quæ respectus personarum admittat; contrà quàm fides vera seu opera habens faciat. Fides autem, quæ opera habet, illa est, quæ credit non tantum, quod DEUS propter JESUM Christum apprehensum hominem justificet, & salvum faciat; sed etiam quod propter tantum beneficium in Christo exhibitum homo tam bonis operibus, quam verbis piis DEO gratus esse debeat, & juxta sanctam ipsius voluntatem sanctus. Hæc namque fides semper bona habet opera, si non in factis externis, affectu tamen interno; si non in fructibus, in radice tamen: sicut arbor bona semper est arbor bonos fructus ferens, etiam si non temper, imprimis hyeme, bonos fructus ferat actu. Contra fides non habens opera est illa, quæ credit quidem, quod DEUS propter Christum JESUM fide apprehensum justificet, & salvum faciat hominem, ita tamen, ut putet simul, ne gratitudinis quidem causa aut conformitatis cum DEO, aut

Paraphr.

quacunque alia de causa opus esse, ut faciat bona opera. *Sis, fra-*

tres

eres mei, inquit Apostolus, dicendum mihi est, quid de fide, quam quis se habere dicat, cum opera tamen non habeat, (nam de fide, qua habet bona opera, omnino statuo, quod etiam vos ab initio edocti estis, justificare eam & salvare solam) sentiam, ingenuè dicam, non esse illam eam veram fidem, qua sola iustificet & salvet, nullamq; prorsus esse eius utilitatem. Sed quid dico, me hoc sentire? vos ipsos potius vestramq; conscientiam appello; qua utilitas, fratres mei, si quis fidem se habere dicat, opera autem non habeat? num potest fides hæc ipsum salvum facere? Existimo, vos ipsos confessuros esse, quod ejus nulla sit utilitas, nec salvum facere hominem possit. Ex abundantia tamen hoc amplius & applicabo & probabo.

§. 47. Itaque (2.) per simile amplius exponit Apostolus: *verf. 15. 16.*
 quod quidem primum ejus argumentum facere possemus, cum *17.*
 similia hominum licet nil probent, sed illustrent tantum, similia tamen DEI & scripturæ, ob infallibilitatem dicentis simul probent: de quo mox plura. Simile autem Apostoli ab Eleemofyna verbali, non reali desumptum, verbis satis perspicuis proponitur. *Quod si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu; dicat autem aliquis vestrum illis; Abite cum pace, calefcite & saturamini, non tamen dederitis illis, quæ sunt necessaria corpori: quæ erit utilitas* (hominis ita dicentis? nonne culpabitur misericordia ejus tanquam mortua? si cum posset opere, solis verbis miserta est pauperis? certe hæc misericordia plane erit mortua.) *Sic etiam fides, si facta non habuerit, mortua est per se* (seu juxta se ipsam, ita ut nihil profit, nec virtutem in se vivam habeat, qua quicquam prodesse possit, sive ad justificandum, sive ad salvandum hominum.) Diligenter notanda est misericordiæ per se mortuæ, & fidei per se mortuæ comparatio; ut quomodo fides mortua sit, melius pateat.

§. 48. Jam (3.) Apostolus Assertionem, quod fides opera non habens neque iustificet, neque salvum faciat hominem, probat argumentis. Diximus autem paulò ante, quod similia DEI & scripturæ ob infallibilitatem dicentis, non tantum illustrent, sed etiam probent: quod hîc loci eo magis locum habet, quia, quod primum argumentum facimus, in simili Apostolico latet deductio etiam ad absurdum. In hunc nimirum sensum; *Si fra-* Paraphr.

ter aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu; dicat autem aliquis vestrum illis; Abite cum pace, calescite & saturamini, non tamen dederitis illis, quæ sunt corporis necessaria, num prodest quicquam hæc vestra misericordia verbalis? nonne misericordia plane per se mortua est? absurdum certe est dicere, eam prodesse quicquam aut vivam esse; sed necessario dicendum est, esse misericordiam in se mortuam. Sic ergo absurdum est dicere, fidem, quæ opera non habet, vivam esse & prodesse, & non potius, mortuam in se esse, ut nihil proficit.

verf. 18. 19.

§. 49. Isti porro subjungitur secundum argumentum: quod desumit Apostolus à necessaria fidei per, opera demonstratione & probatione v. 18. 19. Argumentum hoc est; Quæcunque fides non per opera sua demonstrat, se veram fidem vivamque esse, illa nihil quicquam prodest, sed est fides in se mortua. Atqui fides, quæ opera non habet, non potest per opera sua demonstrare, se veram vivamque fidem esse: Ergo illi nihil quicquam prodest, sed est fides in se mortua. Major probatur duplici ratione necessariae demonstrationis seu probationis: quarum prior desumitur à conditione hominum etiam fidelium, qui fidem veram vivamque cognoscere non possunt, nisi per opera: contra tamen cognitio in Ecclesia necessaria est. Extat hæc ratio verf. 18. *Sed dicit quis (tibi necessario, si fidem tuam vivam esse nosse debeat in Ecclesia,) Tu fidem habes, sicut dicis; at ego, viva ne sit, an mortua, ignoro, nisi operibus tuis mihi probaveris. Ostende ergo mihi ex operibus tuis fidem tuam, quod viva sit, non mortua: quemadmodum procul dubio tu mihi etiam non credis, dicenti, quod fidem habeam, nisi tibi, fidem meam vivam esse, ex operibus demonstravero. Quod etiam non abnuo, sed promptus sum, ad ostendendum tibi fidem meam ex operibus meis: sed quod tibi in me juris est, dabis mihi etiam in te.* posterior ratio probationis est sumpta à necessario fidei justificantis & diabolicæ discrimine. v. 19. Ex quo extrui talis potest ratio; Quicquid necessarium est propter discriminationem fidei justificantis & diabolicæ, illud ad fidem vivam necessario requiritur. Atqui demonstratio seu probatio fidei per opera necessaria est propter discrimen fidei justificantis & diabolicæ. Ergo ad vivam fidem necessario requiritur; aded, ut fides, quæ se per opera non probat, sit fides in se mortua. Certum est, quod fides diabolica non justificet, licet bona fuerit:

Paraphr.

fuert: nullus enim diabolorum per Christum justificatur. Unde certum etiam hoc est, quod homo, qui fidem tantum habet cum diabolis communem, similiter per eam justificari non possit. Jam fides diabolica, exempli gratia, est, quâ credunt, DEUM esse. Et hæc quidem fides diabolorum, quantum ad rem, bona est, & verissima est; cum verissimum sit, DEUM esse. Interim fides hæc diabolos a deo non justificat, ut potius eos contremiscere faciat. Ratio est, quia non facit, quæ DEUS vult à Diabolis fieri: unde contremiscere facit diabolos, quia cum certum sit, DEUM esse, certum etiam est, quod DEUS voluntatem ipsius non facientes puniturus sit. Eadem vero ratio est fidei hominis, quæ opera non habet. Hæc enim credit DEUM esse, cum credat, DEUM per solam fidem justificare & salvum facere: Atqui hæc fides, si se vivam per opera non demonstrat, in se quidem bona erit, sed hominem tamen faciet contremiscere, damnabitque eum, propterea quod non facit bona opera, quæ tamen DEUS vult à justificatis fieri gratitudinis causa & ex aliis rationibus. Occidit enim illi hoc argumentum condemnationis; Q. habet fidem diabolicam, ille per eam non justificatur & salvatur, sed damnatur: Q. fidem habet sine operibus, ille fidem habet diabolicam. Ergo per eam non justificatur & salvatur, sed damnatur. Quod novum etiam (si velis) pro Assertionem Apostolicam argumentum esse possit. Tu, inquit Apostolus, credis, quod DEUS unus sit: recte quidem hoc credis, cum sit verissimum? sed hæc tamen fides justificare te, qui opera non habes, aut salvum facere non potest; quin potius te facit contremiscere coram iudicio, & condemnari; non secus ac in diabolis hoc certum est, qui etiam credunt DEUM unum, quia tamen opera bona non habent, sed mala, quibus DEUM sibi iratum habent, contremiscere eos facit fides eorum, eosque damnat. Eadem vero ratio est omnis fidei, quæ opera bona non habet, sed cum malis conjuncta est.

Paraphr.
verf. 19.

§. 50. Argumentum tertium probatorium Assertionis Apostolicæ depromitur ab Exemplis justificatorum per fidem, quæ opera habuit, non autem per fidem, quæ opera non habuit. Exempla autem duo Apostolus adfert; Abrahami Patriarchæ unum, alterum Rahab meretricis. Huic argumento ab exemplis sumpto.

30.

29.

28.

33.

2

2

3

4

1

Paraphr.

sumpto, quod manifestum in primis & ex scripturis apertis deductum est, Apostolus aliquam commendatiunculam præmittit; ejusmodi esse, ut claram reddat vanitatem hominum sententium, quasi fides sine operibus mortua non sit vers. 20. *Vis verò scire clariùs, ó homo inanis, qui præmissis argumentis, satis licet evidenti- bus, manus nondum das, sed in errore tuo perseveras, quod fides, quæ absq; operibus est, neq; justificet, neq; salvum faciat quenquam sola, neque quicquam ad hæc proficit, sed mortua sit prorsus, ac omni justificandi & salvum faciendi virtute destituta; contra fides illa, quæ sola justificat & salvat, sit fides, quæ opera ex se gignit, clarissimè tibi exemplum ulterius demon- strabo scripturæ.*

vers. 21.
Paraphr.

§. 51. *Sisto vobis autem, inquit Apostolus, ante omnia (1.) Exemplum Abrahami Patriarchæ, quem communem nostrum Patrem secundum spiritum & promissionem agnoscimus: ut adeo nullum prorsus sit dubium, quin eodem omnes, quo ille, justificemur & salvi fiamus modo. Annon vero ex operibus suis justificatus est ita, ut manifestum sit, fidem ejus genuisse & habuisse opera bona, adeoque in operibus vivam fuisse, non autem sine operibus mortuam? Profectò negare hoc per conscientiam vestram non poteritis. Si quis tamen forte negare ausus fuerit: convincet eum vel sola historia in scripturis prolixius descripta, quando obtulit DEO, ad mandatum DEI, unicum suum Filium, Isaacum, super altare usque, machaturus etiam eundem, nisi Angelus Domini, Filius DEI, prohibuisset & inhibuisset. Factum cersè hoc est egregium, opusque optimum. Atqui hoc ex fide profectum est, quæ credidit, DEUM posse etiam ex mortuis suum filium resuscitare, & promissiones sibi factas in illo & semine illius adimplere. Quare fides hæc ejus operosa fuit per egregium hoc opus, atque adeo non fuit sine operibus & virtute operandi mortua, sed in operibus viva. Hic sensus est verborum Apostolicorum vers. 21. Unde hoc extruitur argumentum; Quomodo justificatus est Abrahamus Pater noster, eo modo justificamur etiam nos, quotquot filii Abrahami sumus secundum spiritum. Atqui Abrahamus Pater noster justificatus est ex operibus. Ergo ex operibus justificamur etiam nos, quotquot Abrahami secundum Spiritum filii sumus. Et per consequens, Fides ejus, quæ operum ejus mater fuit, & ex operibus demonstrata est, viva fuit, non mortua. Probatur tam minor, quam consequens, ex verbis historię oblatis Isaac,*

Gen.
XXIII.
v. 12.

Isaaci, quibus dicit Angelus Jehovah, Filius DEI; Nunc cognovi, quod timens DEI tu sis, non enim prohibuisti à me filium tuum unigenitum Genes. XXII. vers. 12.

§. 52. Verumenimverò hoc consequens facit Apostolus vers. 22. quando dicit Rhetorico argumento; *Vides, quod fides cooperata sit operibus ejus, & ex operibus ejus fides perfecta facta fuerit?* Quasi dicat; *Abrahamus ex operibus justificatus est, ut ex historia probavi: Jam vero opera ejus perfecta fuerunt ex fide illa, de qua dictum est; Credidit Abrahamus DEO, & imputatum est hoc illi in justitiam. Unde ulterò consequitur, quod fides hac Abrahami cooperata sit operibus ejus, ut ab Abrahamo fierent, ex operibus autem demonstratum sit, quod fides illa perfecta fides esset, & viva, virtute operandi per bona opera non destituta, non autem manca & mere historica atq; diabolica.* Interrogat Apostolus; *βλέπεις, Vides, ut rem fortius confirmet, & ad testimonium conscientiae in re clara provocet.* *πιστις, fides, sine dubio fides Abrahami est, quod testatur tempus praeiteritae significationis συνέργει, cooperata est.* Observavit itaque Apostolus in opere oblationis Isaaci fidem, cujus in verbis historiae, *quod timens DEI sis tu; collatis verbis Genes. XV. vers. 6. Credidit Abrahamus DEO, & imputatum est hoc illi in justitiam.* Quae verba propterea statim versu sequenti citat. *συνέργει, cooperata est fides operibus, ut fierent, adeoque ut causa efficiens, cum se ipsa producere non potuerint. ἐτελειώθη, perfecta autem facta est fides ex operibus, tanquam effectu causam suam demonstrante, quod scilicet fides opus perfectum haberet. Cap. I. vers. 4. adeoque sicut opus, ita & ipsa perfecta esset.*

§. 53. Ut autem de consequentia ad fidem bonitate constaret, probavit eam Apostolus ex scriptura Gen. XV. vers. 6. *Credidit Abrahamus DEO, & imputatum est hoc illi in justitiam, & (quod per consequens addit) amicus DEI vocatus est.* Quam scripturam Apostolus denuò impletam esse ait, ipso nimirum opere seu facto iterum probata & demonstrata fide, quod vera & viva esset, non mortua. Sapientissimè hoc Apostolus de impletione scripturae dixit: nam eandem & Genes. XV. & cap. XXII. fidem Abrahami fuisse, inde manifestum est, quia utrobique eadem promissio est

D

DEI,

30.

29.

28.

33

2

1

11.

3

4

11

DEI, Genes. XXII. non de novo seu primum facta, sed tantum iterata. Sicut enim Genes. XV. vers. 4. 5. præcessit promissio de

Gen. XV.
vers. 4. 5.

femine Abrahami, cum dicitur; *Non hereditabit te hic (alienigena) sed qui exibit è visceribus tuis, ille hereditabit te. Et eduxit eum foras, dixitq; suspice nunc versus cælum, & numera stellas, si possis numerare eas; tum mox dixit illi, sic erit semen tuum: ita cap. XXII. vers. 17.*

Gen. XXII.
vers. 17.

eandem repetiit promissionem; *benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ ad litus maris est, & hereditabit semen tuum portæ inimicorum suorum.* Quæ ergo non utrobique una eademque fides sit, qua una eademque promissio credita & apprehensa fuit?

vers. 24.

§. 54. Concludit Apostolus hoc exemplum, repetendo conclusionem, iisdem fere verbis, sed generalibus. Suprà namque speciatim de Abrahamo intulit; *Vides, quod fides (Abrahami) cooperata fuerit operibus illius, & ex operibus fides perfecta facta fuerit?* Nunc vero ab Exemplo Abrahami generaliter de quovis homine infert, *Videis igitur, quod ex operibus justificetur homo, non ex fide tantum; h. e. Videis ex iis, quæ de exemplo Abrahami dicta sunt, quod in universum verum sit, hominem ex operibus, tanquam effectu fidei, justificari tanquam vere credentem, non autem ex fide tantum testimonium operum, tanquam effectus sui non habente; eò quod sit nuda professione fides & in se mortua.*

vers. 25.

§. 55. Alterum exemplum, ex quo Apostolus idem, quod ex priori probat, Exemplum est Rahab meretricis. Nimirum; quomodo Rahab meretrix justificata est, tanquam credens, eodem modo omnes etiam homines justificantur, tanquam credentes. Atqui Rahab meretrix ex operibus justificata est, tanquam credens. Ergo eodem modo omnes homines justificantur, tanquam credentes, ex operibus. Major certa est; cum unus modus sit justificandi homines. Minor probatur ex historia Rahab meretricis, in qua dicitur, quod exceperit nuntios Israëliticis, & alia via emisit. Quod profecto egregium tactum fidei fuit: sicut namque fide corruerunt muri Jerichuntis; ita fide (quod certò etiam DEUS traditurus esset Jerichuntem Israëlitis, eos tamen in vita conservaturus) Rahab etiam meretrix excepit nuntios, rursusque dimisit.

Paraphr.

Similiter, inquit Apostolus, vers. 25. idem

idem de fide viva probatur exemplo Rahab meretricis. Nonne enim ex eo, quod nuncios populi Israelitici amice excepit, occultavit, & alia via tuta salvos dimisit, jure meritoque inferitur, quod ex operibus, utpote fidei viva effectibus, justificata sit, tanquam viva, non mortua fide credens? Omnino sane hoc inde sequitur, nec ullo modo negare potestis, nisi veritati manifesta contradicere velitis.

§. 56. Dictum supra est, quod Argumentum Apostolus ab exemplo Abrahami sumtum, non in forma logica, sed more oratorio proposuerit. Idem ergo hinc etiam de exemplo Rahab meretricis dicendum est: nullum enim in formam logicam habemus argumentum. Modo tamen proposuimus ex vers. 25. hoc in formam logicam argumentum: Quomodo Rahab meretrix, tanquam credens, justificata est, eodem modo omnes homines, tanquam credentes, justificantur. Atqui Rahab meretrix tanquam credens, justificata est ex operibus. Ergo omnes etiam homines, tanquam credentes, justificantur ex operibus. Minorem propositionem diximus probari ab Apostolo ex facto exceptionis & dimissione nunciorum Israeliticorum. Jam haec quoque probatio in formam redigenda est: in qua hoc vel simili modo habebit; Si Rahab meretrix nuncios Israeliticos excepit, & alia via dimisit fide, justificata est, tanquam credens, ex operibus. Atqui prius est, testante historia ejus. Ergo & posterius. Consequentia clara est propositionis hypotheticae.

§. 57. Probatum jam tandem (quod quartum Argumentum Apostoli est) Assertio Apostolica per verba vers. 26. *Nam quemadmodum corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides absque operibus mortua est: hoc est; quam verum enim est, quod corpus hominis, si respirationem spiritus nullam habet, mortuum & ipso spiritu seu anima destitutum sit: tam verum est, & omnibus clarum, quod fides, si bona opera nulla vita proferat habeatque, in se mortua sit, nec vitam ullam habeat, adeoque vera fides justificans non sit.* Argumentum Apostoli hoc est; si corpus hominis, respirationem spiritus non habens, mortuum est, ipsoque spiritu destitutum: fides etiam absque operibus mortua est, & omni vita virtuteque justificandi destituta. Atqui prius verum est, Ergo & posterius. Consequentiam propositionis hypotheticae Apostolus in autoritate sua Apostolica h. c. Spiritus Sancti

Sancti fundat, q.d. si eadem est ratio corporis hominis & respirationis Spiritus, quæ est fidei & operum: verissimè & certissime consequitur, quod si corpus hominis, respirationem spiritus non habens, mortuum est, ipsoque spiritu destitutum, fides etiam absque operibus mortua sit, & omni vita virtuteque justificandi destituta. Atqui eadem est ratio corporis hominis & respirationis spiritus, quæ est fidei & operum: quod vobis in Spiritu Sancto affirmo. Ergo. Conjunctio causalis hoc in versu habet officium connectendi duo argumenta per conclusionis, in priori

Paraphr.

illatæ, ulteriorem probationem. In hunc sensum: *Rahab nonne ex operibus justificata est scilicet credens? Ita sane est: & per consequens fides sine operibus est mortua, non justificans aut salvam faciens credentem. Nam ut porro probem idem istud, fidem sine operibus mortuam esse, ut nec justificare, nec salvare possit: Quam certum est, corpus sine spiritu mortuum esse, tam certum est, fidem sine operibus mortuam esse.* Atque hæcenus Caput Secundum.

CAPUT

CAPUT III.

CAP. III.

§ 58. Per integrum præcedens Caput secundum Apostolus noster vindicavit alterum doctrinæ suæ Punctum, & contra illud peccantes errantesque redarguit, & refutavit. *Capiæ jam tertio ad Punctum tertium* progreditur, de *Sapientia Christiana*: de quâ imprimis docuit, unde petenda sit, ut sit cœlestis & superna, non autem terrestris & mundana. A DEO nimirum eam è cœlis petendam esse docuit; additis simul rationibus, quibus exauditionem divinam lætumque impetrationis eventum persuasit; quanquam non sine limitatione & conditione, ut petitio ritè & sine omni hæsitacione fiat Cap. I. vers. 5. 6. 7.

§. 59. Contra hoc Doctrinæ Apostolicæ Punctum *dupliser* peccabatur in Ecclesia tribuum disperfarum: *uno modo*, ambitione honorum & officiorum in Ecclesia Christi: quasi nimirum non esset sapientia Christiana præditus, nisi qui docendi officium in Ecclesia gereret, inque ea doceret; aut quasi Christiana sapientia in solo docendi officio publico consisteret. *Altero*, invidiosa æmulatione & contentione; quâ alter alterum refutabat, & insipientiæ ac errorum inculabat, ut ipse solus sapere videretur. Neutri veram habebant aut sectabantur sapientiam, quæ è supernis est; quippe quæ longè aliter se habet, quàm homines putabant & agebant.

§. 60. *Errorem priorem*. I. seu peccatum notat. 1. Apostolus vers. 1. quando scribit; *Nolite plures magistri* (Doctores) *esse* (fieri,) *fratres mei*. Cur enim, quæto, Apostolus dehortatus fuisset fratres ab hoc, ut plures magistri non fierent? aut se facerent? nisi plures inter ipsos fuissent, qui in eo peccassent, & docendi officium affectassent, ut pro sapientibus haberentur: quæ turpissima fuit ambitio. De sapientia namque Christiana sermonem Apostolo esse, tum ex eo patet, quia nemo sine sapientia Doctor esse potest: tum ex eo, quod sapientiæ Apostolus expressè meminit Infr. vers. 13, 15, 17. *Ostendi vobis, fratres mei*, Paraphr. inquit Apostolus, *postulandam esse à DEO sapientiam; admonui vos, ut eam postuletis; spem vobis certam feci, quod postulantes impetraturi eam sitis, si modo ritè petieritis. Verumenimverò quàm tur-*

E piter

30.

29.

28.

33.

2

8.

3

2

11.

2

3

4

1

piter hîc à vobis, fratres mei, peccatur? Compertum namq̄, habeo, multos inter vos esse, qui sapientiam non nisi ex turpi ambitione, in Christianis intolerabili, desiderant, petunt, affectant, ut Doctorum gradu, honore, officio in Ecclesia superbiant, & Magistri vocentur. Hoc verò non est sapientiam rite, in fide & sine hesitatione petere. Qui hîc se errare non putant, eò turpius errant.

§. 61. Quare vos, fratres mei, ab hoc turpissimo errore & peccato seriò & paternè dehortor, dicoq̄; Ne multi Doctores fiatis. Multos enim inter vos esse, qui tanto ambitionis vitio laborent, & Doctorum titulos affectent, sat scio. Præstate itaq̄, ne multi sint inter vos ambitiosi Doctores, & eos qui tales sunt, corrigite mecum, ut à tanto vitio desistant, neq̄, Ecclesiam multis eiusmodi Doctoribus onerate, sed tot solum constituite Doctores, quot Ecclesiæ edificatio postulat. Atque hæc 2. hîc est Apostoli nostri ab ambitionis, qua sapientia male affectatur Christiana, vitio dehortatio seria atque paterna. vers. eod.

ibid.

§. 62. Cui 3. rationem subjungit gravissimam, ab ineffabili & æterno damno desumptam; nimirum, à judicio, quod à peccantibus peccatum ambitionis istius certò expectandum est, majori, quàm si in aliis rebus humanis seu secularibus, non spiritualibus, peccaretur, eò quod longè gravius ambitione in rebus spiritualibus, quàm in rebus non spiritualibus, peccetur. ὅτι μείζων κέρμα ληΐσμεθα, quoniam majus judicium accipiemus. Hoc est: Si namq̄, fratres mei, ex ambitione ejusmodi affectabimus sapientiam, eum in finem, ut titulis Doctorum magistrorumq̄, in Ecclesia superbia-mus & gloriemur, nec respiciamus, dehortationi paterna locum dantes, longè gravius à Christo ipso Judice aliquando judicium sumturi & experturi sumus, quàm omnes alij, qui in rebus quibuscunq̄, non spiritualibus, imprimis sapientia laudem captantes, ambitione vanà peccant: quantò nimirum turpius est vitium, spiritualis seu circa res spirituales peccans ambitio, quàm temporalis seu circa res temporales peccans ambitio. Illa namq̄, quid aliud, quàm sacrilegium est? cùm hæc levius furtum dici queat. vers. eod.

Paraphr.

ibid.

§. 63. Hîc verò jam 4. tacita occupanda fuit Objeçtio. Eludere namque apud se, & objicere rationi Apostolicæ poterant ambitiosi homines, quasi nullius momenti, & falsa, aut incerta

certa

certa saltem esset. Prævidit itaque hanc Apostolica Prudentia, & occupando refutavit. Refutat autem ita, ut (1.) ei contradicat, negetque, rationem suam incertam, nedum planè falsam & nullius momenti esse: contra verò asserat, longè certissimam esse, tanquam de quâ ipse in Spiritu Sancto adeò certus sit, ut illos omnes velit eam scire, ac pro certissimâ habere. *εἰδότες, scientes*, inquit Apostolus, *quod majus iudicium sumturi simus*: q. d. nolite hanc rationem meam apud vos etiam & tacite, minùs vero publicè exhibilare & eludere, quasi falsa sit, imò ne quidem, quasi incerta sit: certò namq; sciatis, reverà futurum & infallibiliter, quod dixi majus sumturos iudicium nisi fortè quem adeò depuduerit, ut me in Spiritu Sancto non loqui blasphemè existimet & calumnietur. v. eod. Loquitur in his verbis & deinceps Apostolus in prima persona per *κοινωνίαν* seu communicationem quandam Rhetoricam, non sermone tamen Enuntiativo, sed conditionato: sumemus, si quis ex nobis, quicumque fuerit, id fecerit.

§. 64. Videmus, quod in hac contradictoria Apostoli simul ratio gravissima involuta sit. Eam tamen Apostolus modestè quodammodo occultans, aliter (2.) Rationem suam de majori sumendo iudicio confirmat, quando vers. 2. scribit; *πολλὰ καὶ ὁ πάλαιεν ἀπαιτεῖς, Multoties enim labimur omnes. Quæ ratio defumta est à Causa Majoris iudicii, lapsibus scilicet, peccaminosis ambitiosorum istorum plurimis: fundata autem est partim (1.) in genere, in infirmitate corruptæ naturæ nostræ, quæ ita comparata est, ut etiam renati multoties labantur omnes, nedum illi, qui suâ ambitione spiritum regenerationis amiserunt, aut in ambitione tuâ ab eodem non reguntur. Dixi, inquit Apostolus, *majus nos sumturos à Christo iudice iudicium condemnationis, si in spiritualibus ambitiosi affectaverimus esse Doctores. Confirmo hanc rationem hoc argumento; Quicumq; multoties, & gravius, quàm aliàs, ambitione suâ peccant: illi majus & gravius etiam à Christo iudice sument iudicium. Atqui quisquis ex nobis temerè affectaverit esse in Ecclesia Christi Doctor, ille multoties & gravius, quàm aliàs, ambitione sua peccat. Ergò majus etiam & gravius à Christo sumet iudicium: quod probandum erat. Minor manifesta est. Majorem probo: Si omnes nos, qui renati etiam sumus, & extra peccatum istud**

ambitionis mortalis constituti, multoties tamen in docendi officio seu verbis, saltem ex infirmitate labimur? multò magis illi, qui ex turpi ambitione docendi officium affectant, & hoc suo peccato spiritum regenerationis excusserunt ex ordine suo, non tantum ex infirmitate, sed damnabiliter peccabunt multoties atq; gravissimè. Atqui prius, omnes scilicet nos etiam renatos multoties, saltem ex infirmitate labi, ex doctrina nostra Apostolica & fide Ecclesia certum est. Ergò & posterius. Confirmata itaq; etiam est argumenti mei Major propositio.

ibid.

§. 65. Indicatum est in præmissis Apostoli argumento, quod Antecedens in subsumptione nitatur doctrina Apostolica & fide Christianâ. Quo de ne quis dubitet, dogma (3.) istud Apostolicum & Christianum Apostolus producit, dicitque; εἰς τὸ λόγον &c. Si quis in verbo non labitur, hic perfectus vir est, qui possit freno quasi quodam moderari totum corpus etiam. Scitis, inquit Apostolus, dogma Apostolicum & Christianum hoc esse, quod si quis ne verbo quidem ullo labatur seu peccet, is vir sit, qui iam habeat perfectionem alterius vitæ, quam speramus adhuc; tanquam vir, qui totum etiam corpus suum quasi freno quodam ita possit moderari, ut nullo membro ejus peccet, sed ab omni lapsu liber sit: quæ profectò perfectio in hac adhuc vitâ ne in renatos quidem cadit. Unde nascitur hoc Apostoli argumentum: Quisquis nondum est vir ad eò perfectus, ut ne ullo quidem verbo peccet & labatur, atq; ad eò etiam universum suum corpus freno ita moderari potest, ut nullo ejus membro peccet: is multoties in verbis adhuc & docendi officio labitur, etiam si renatus sit, saltem ex residuâ carnis infirmitate. Atqui nemo nostrum in hac vitâ vir ad eò perfectus esse potest &c. Ergò nos omnes multoties in hac vitâ in verbis adhuc & docendi officio labimur, etiam renati, saltem ex residuâ carnis infirmitate.

Paraphr.

vers. 5.

§. 66. Verum non tantum in genere, in infirmitate corruptæ nostræ naturæ fundata est Apostolica ratio: verum etiam (2.) in specie, in corruptione linguæ pessima: quæ tanta est, ut vix ullum totius corporis membrum tanto labore vitio, imò suo vitio totum corpus inficiat & maculet. Hoc linguæ vitium notatur verbis vers. 5. εἶπω καὶ ἢ γλῶσσαι &c. Sic etiam lingua exiguum membrum est, sed magna jactat, seu arrogantissima est. Argumentum

Paraphr.

mentum Apostoli hoc est; *Quorum lingua ita comparata est, in primis in ambitiosis & magna affectantibus, ut sit arrogantissima, nec intermittat magna de se jactare gloriariq., qua tamen nulla sunt: eos in verbis & docendi officio maximè, multoties & gravissimè labi & peccare necesse est, ita ut totum corpus eorum. h.e. illi ipsi tanti, quanti sunt, rei fiant per illam. Atqui lingua hominum, qui ambitiosè docendi officium & Doctorum titulos in Ecclesia affectant, tanquam hominum omnium pessimè ambitiosorum & magna affectantium, lingua ita comparata est, ut sit arrogantissima, nec intermittat de se jactare gloriariq. sine & adversus verbum DEL. Ergò eos in verbis & docendi officio maximè, multoties & gravissimè labi & peccare necesse est, ita ut totum corpus eorum h.e. illi ipsi tanti, quanti sunt, per illam rei fiant. Et per consequens, certè majus sument à Christo judice judicium. O vos, inquit Apostolus, qui tanta cum ambitione affectatis in Ecclesia Doctores esse, num ingentem lingua vestra corruptionem & officium non agnoscitis? Nonne cum hac per naturam post lapsum ita comparatum est, ut arrogantissima sit, & maxima de se vanè & peccaminosè contra verbum DEL jactare soleat? unde errores in doctrina etiam & hereses atq. alia mala. Hac itaq. lingua vestra, excusso Spiritus Sancti per ambitionem vestram moderamine, quomodo non, si ascenderitis ambitiosè Docendi cathedram, multoties in verbis & docendo labetur, & peccabit gravissimè?*

ibid.

§. 67. Contra hoc verò argumentum excipi poterat, Linguam exiguum membrum esse, nec tam grande esse ipsius vitium, aut peccati etiam factum. Si quis enim utique in verbo labatur, inter minima hoc peccatum esse, ut tantum non mereatur judicium, si maximè etiam in docendi officio committatur. Multò certè gravius esse, opere seu facto, quàm linguâ peccare. Hoc est, quod dicitur; ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλη ἐστίν, *Lingua exiguum est membrum. Objicietis hinc fortè mihi, inquit Apostolus, quemadmodum lingua inter membra corporis exiguum suâ substantia corpus sit, ita vitium lingue inter minima esse, si maximè magna de se jactet vanè contra DEUM & verbum eius, neq. peccatum adeo grande esse, si quis in verbo labatur, ut propterea totus homo judicij gravioris reus fiat.*

§. 68. Huic itaque Objectioni Apostolus ita occurrit, ut Paraphr.

E 3

(1.) the-

thesin suam nihilominus adstruat, eâdem non obstante. *Concedo quidem, inquit, si substantiam lingua carnea consideres, membrum illam esse exiguum: sed si corruptionem vitiumq; ejus spectes, maximum illud propè omnium est: quod opera ejus testantur etiam, dum μεγάλαι χεῖρες, maxima & vanissima etiam contra DEI verbum jactat. Nolite itaq; herere vel in substantia lingua, qua exigua, vel in verborum pronuntiatione, qua facilis est, sed res magnas & pessimas, quas effudit, spectate.*

verf. 3. 4. 5.

§. 69. Illustrat (2.) Apostolus istam thesin suam triplici similitudine rerum minimarum, quibus nihilominus res maximè efficiantur; freni scilicet equorum, gubernaculi navium & ignis. Prædem autem notum factum est, quod ejusmodi scripturæ similia non tantùm illustrent, sed etiam probent. *Illustrabo, inquit Apostolus, rem, quam de lingua, membro exiguo, dixi, tribus similitudinibus. Ecce, quàm verum primò est, quod frena equorum res sint respectu totius corporis equini valdè exigua, nihilominus tamen, si ea, sicut solemus, in ora equorum immittamus, ut per ea hos regamus, & obedire nobis cogamus, totum corpus equorum per illud circumagere possumus, quocumq; voluerimus: Imò quàm verum etiam secundo est, quod naves, ingentis opera molis quidem sint, gubernacula verò earum, si cum ipsis vastis corporibus earum comparentur, minimum lignum sint; nihilominus tamen ipse naves, si maximè etiam à sevis ventis agitentur, per gubernaculum aded exiguum circumaguntur, quò impetus rectoris eas gubernantis impetu directionis suæ propositiq; sui voluerit: tam verum etiam est, quod lingua, licet exiguum corporis nostri membrum sit, tantis tamen vitiis labores, & tam gravia committat peccata, ut quod committit maxima.* verf. 3. 4. 5.

verf. 6.
Paraphr.

§. 70. Dabo vobis tertio, inquit Apostolus, tertium quoq; simile, ignis. *Ecce, si quis exiguum valde ignem accipiat, eoq; ingentem sylvam incendat, nonne integram etiam sylvam comburit & consumit? cum tamen respectu ejusdem sylvæ pro nihilo propè habendus fuerit, mirumq; valdè sit, unde tanta rei aded exigua vis insit, tantumque efficere queat. Jam verò reverà res ita comparata est cum lingua nostra, ut merito illa in spiritalibus ignis aliquis appelletur, qui omnia hominis corrumpat & devastet. Hoc est, quod dicitur; Ecce, exiguus ignis, quantam sylvam incendit? Etiam glossa ignis est. Ita tria habe-*

habemus Apostoli similia, frenum equorum, gubernaculum navium, & ignem exiguum.

§. 71. Cæterum (3.) ut res tota manifestior reddatur, ibid.
Apostolus modum etiam, quo fit, ut linguæ vitium corpus hominis totum seu totum hominem inficiat, & judicio condemnationis subiciat, aliquo modo exponit. Id verò facit novo simili à mundo ipso, cum quo hominem & linguam ejus comparat. *Nam lingua, inquit, est mundus quidam injustitia: hoc est, in linguam hominis omnis concentratur injustitia, quemadmodum si in centrum mundi congregaretur & cogeretur omnis, qui in toto mundo est, ignis. Quemadmodum itaq; si omnis, qui in mundo est, ignis congregaretur & cogeretur, non posset non fieri, ut ignis iste ex centro istoc se diffunderet in universum mundum usq; ad extremitates orbis ejus, & omnia, quæ in eo sunt, inflammaret & combureret: ita reverà res cum lingua ejusq; vitio corruptionis comparatum est. Nam hæc quasi centrum quoddam est constituta inter membra nostra, eademq; inflammata est ab igne gehennæ, qui in eam se quasi concentravit; unde adurendo maculat totum corpus nostrum, & quicquid inter nativitatis seu nature, prout jam post lapsum nascitur, rotam orbemq; comprehensura est, inflammat, & combustioni æterni judicij damnationisq; subicit. Habetis itaq; quod instar ignis vitium linguæ totum microcosmum, seu hominem maculet, reum faciat, & judicio condemnationis subiciat.* Paraphr.

§. 72. Hic verò (4.) novæ occurrit exceptioni Apostolus, verf. 7. 8.
ut, quæ modo dicta sunt, amplius corroboret. Excipi namque poterat, quod ingens quidem malum lingua fit, ut meritò etiam ignis, qui totum hominem inflummet, appellari queat: tale tamen id esse, ut in arbitrio & potestate hominis sit, possitque hic illi dominari, & ne in exitium ipsius prorumpat, coërceri. Cùm enim natura atrocissimarum ferarum, volucrum, serpentium & marinorum monstrorum edomari queat: cur non potiùs propria lingua, utut pessimum malum sit, ab homine coërceri queat? Quæ exceptio involuta est verbis verf. 7. *Omnis namq; natura ferarum &c.* Ad quam verò respondet Apostolus, negando consequentiam à domatione ferarum factam, & contrarium asserendo h. e. *possibilitatem domandi linguam arbitrio & potestati hominis,*

Paraphr.

minis, ambitiosi scilicet & Spiritu Sancto destituti, denegando. *vers. 7. 8.* Si quis, inquit Apostolus, hic excipiat ex vobis fortè, *Quantumcumq; malum sit (ut magnum esse rectè probatum à me fuerit) lingua, tale tamen esse, ut in arbitrio & potestate hominis positum ab hoc coërceri queat, cum etiam natura crudelissimarum ferarum, volucrum, serpentium marinarumq; beluarum, domari possit ab hominibus: Ego libenter quidem concesserim, quod natura atrocium animalium, ferarum quadrupedum, avium rapacium, serpentum noxiorum, belluarum marinarum monstrosarum, domari quodammodo & coërceri, nunquam tamen expelli queat, ut natura humana se submittat, aut ab hominibus debelletur & interficiatur, sicut id exempla satis hætenus testata sunt: quod tamen lingua propria in arbitrio & potestate hominis ita sit, ut, quando voluerit, coërcere eam queat, id verò est, quod constanter nego, dicoq; τὴν γλῶσσαν &c. Linguam nemo hominum domare potest. Ad consequentiam à domatione ferarum animalium ad domationem linguae hominis respondeo, nullam esse, eamquam factam ad id, quod impar est: siquidem lingua hominis malum est prorsus incoërcibile, mortiferoq; veneno plenum; in quo omnibus crudelibus animalibus terrestribus & aquatilibus, longè peius est. Atque hætenus redarguit Apostolus prius peccatum eorum, qui sapientiam Christianam desiderant: quod nimirum ex turpi ambitione eam desiderant postulentque, ut titulo Doctorum in Ecclesia superbire queant: quæ damnabilis est ambitio, peccatumque iudicio Christi damnatorio obnoxium.*

§. 73. *Alterum II, peccatum contra Tertium Apostolicæ doctrinæ punctum de ritè petenda Christiana sapientia commissum, est, invidiosa æmulatio & contentio, cujus gratia sapientiam desiderabant, ne aliis cedere ipsi, sed ipsis alii, cogantur; turpissimo saltem sapientiæ Christianæ abusu, qui sine perniciosissima æmulatione & contentione in Ecclesia esse nequeat.*

vers. 9. 10.

Paraphr.

§. 74. *Notat I. hunc errorem seu peccatum Apostolus vers. 9. & 10. quando scribit; Per eam (linguam) benedicimus DEO & Patri, & maledicimus hominibus, qui ad similitudinem DEI conditi sunt: ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Aliud, inquit Apostolus, comperi præterea grassari inter nos in Ecclesia Christi, & inter vos maximè, peccatum contra sapientiam veram Christianam.*

Christianam, quod ab iis quidem committitur, qui aliquam à DEO optimo donatore consecuti sunt sapientiam: quippe per turpissimum & abominandum sapientia abusus ab istis hoc committitur, ut verè de nobis Christianis dici queat, nos duplicem habere linguam, eò quod per linguam nostram videri velimus benedicere DEO, & verbis quidem etiam benedicamus illi; sed per eandem simul linguam maledicamus hominibus, qui ad similitudinem DEI conditi, quibus adeò non maledicendum, sed benedicendum, sicut DEO, est: ut sic ex eodem ore, quod turpissimum est, & benedictio & maledictio procedat.

§. 75. Exponit 2. Apostolus amplius eundem errorem seu peccatum, specialiusque, quoad maledictionem, verbis æmulationis amaræ & contentionis vers. 14. & 16. ut, in quo maledictio ista consistat, doceat. Ex versibus itaque istis ira evolvitur, quasi dicat Apostolus: Dixi, vos maledicere hominibus, & ex ore vestro non tantum benedictionem, sed maledictionem procedere: ubi per maledictionem intelligo amaram æmulationem & contentionem, qua in corde vestro ita est, ut in verba quoque & facta prorumpat: dum dona divina sapientie vobis collata alter alteri invidetis, alter alterum, quasi insipientem potius, quàm sapientem contemnitis, alter alterum cum contentione, quasi errantem refutatis, imò quasi hereticum condemnatis, & maledictionis fulmine percutitis. Hac maledictio est, quam insinuavi.

§. 76. Hunc itaque 3. turpem errorem & gravissimum peccatum Apostolus in Christianos redarguit, & prohibet; tanquam qui inter Christianos non esse, imò nec audiri debeat: quando vers. 10. & χεῖρ & c. Non oportet, fratres mei, hac ita fieri. Turpissimum, inquit, hoc peccatum est, quod prosul ab omnibus Christianis abesse debet: quare severè vos admoneo, & Apostolica auctoritate mando, ut in posterum à tanto peccato abstineatis, nec sapientie donis ad maledictionem ejusmodi abutamini, sed ad benedictionem tantum DEI quàm proximi utamini.

§. 77. Hujus 4. admonitionis & mandati sui Apostolus vers. 11. gravissimas rationes subjungit. Et primam quidem (1.) sumit Apostolus ex ipsa natura rerum creatarum; in quâ DEUS aliquod quasi vestigium rerum quoque spiritualium deposuit. Hæc itaque rerum natura ita fert, ut nullus fons ex eodem foramine

F

simul

Paraphr. simul dulcem & amaram aquam emittat; quippe quæ sunt incompossibilia, nec simul stare possunt. Nunquid, inquit Apostolus, fons ex eodem foramine emittit dulcem & amaram aquam? Non sane. Atqui, inquam, quàm impossibile est, in rerum natura, ut salvo ejus ordine, fons aliquis ex eodem foramine emittat aquam dulcem & amaram: tam impossibile est, in spiritualibus rebus, ut salvo earum ordine, ex uno hominis Christiani ore & benedictio & maledictio procedat. vers. 11.

vers. 12. §. 78. Contra hoc argumentum, & ejus quidem simile à fonte sumto excipere poterant imprudentiores, Non proflus impossibile esse, ut ex eodem fontis foramine dulcis simul & amara aqua profluat: idèd notioribus adhuc naturæ similibus, ficus & vitis, rem eandem Apostolus amplius illustrat: quod, quàm impossibile sit, ut ficus oleas, & vitis ficus gignat, tam impossibile etiam sit, ut ex eodem fontis foramine dulcis & falsa aqua simul

Paraphr. effluat. Fortè, inquit Apostolus, inter vos simpliciores & natura minùs gnari inveniuntur, quibus quid in fontibus natura possibile sit, non satis sciunt: his itaq; id ipsum per adhuc notiora declarabo. Nunquid, fratres mei, potest ficus oleas gignere, aut vitis ficus? Non posse, etiam simplicissimi hominum noverunt. Atqui sic etiam res in natura comparata est, ut impossibile sit, ex eodem fontis unius foramine aquam simul fluere dulcem & salsam, vel quod idem est, amaram. vers. 12.

vers. 14. §. 79. Altera (2.) Apostoli ratio desumpta est à turpitudine peccati in errantibus: quippe qui, quando putant, se æmulantes, contendentes & maledicentes sibi invicem, nihilominùs sapienter & benè facere, turpissimè contra veritatem peccant; & eò quidem turpius, quod tanquam de re benè gestâ gloriantur, & si alter alterum contentiosis verbis superet, egregiam se laudem reportare existiment. Hoc volunt verba vers. 14. Quod si

Paraphr. emulationem amarâ habetis & contentionem in corde vestro, nolite gloriari & mentiri contra veritatem. Ut redeam, inquit Apostolus, ad id, quod probandum suscepi, non debere ex ore vestro procedere simul benedictionem & maledictionem, vel quod idem est, non debere vos in donis sapientiæ, quibus DEO & hominibus benedicendum est, abuti simul ad emulationem amarâ, contentionem & maledictionem, ne quidem in corde vestro: aliud addo argumentum; idq; hoc, quod si emulationem ejusmodi amarâ & contentionem etiam in corde vestro habeatis, glorie-

mini

mini & mentiamini contra veritatem. Facitis enim istud, & tamen putatis, vos esse bonos & sapientes Christianos: quod falsissimum mendacium est; cum non possitis esse boni Christiani, sed rejecci filii, si istud faciatis.

§. 80. Tertia (3.) Apostoli ratio deprompta est à descriptione istius æmulæ & contentiosæ sapientiæ; maximè originis ejus ratione. Describit autem eam Apostolus *primò*, negativè, unde & qualis non sit; nimirum, non est sapientia è supernis descendens *vers. 15.* *Secundò* affirmativè; est terrena, animalis, dæmoniaca. Moveat, inquit Apostolus, vos, o fratres, ut istac non faciatis, hac etiam ratio, quod reverà, *Paraphr.* *judicio ipsius Spiritus Sancti per me loquentis, sapientia ista æmula, contentiosa, maledica, non est è supernis descendens, tanquam à DEO data, celestis & divina; sed terrena est, animalis, dæmoniaca h.e. ex vitio carnis nostræ, corruptione mundi & diaboli seductione oriunda. Nonne verò ejusmodi sapientia fugienda est?*

§. 81. Durissima videri poterat Christianis, inprimis peccantibus, descriptio, idè Apostolus ex abundantia eam probat, cui aliàs asseruisse suffecisset. Probat autem argumento ab Effectibus æmulationis & contentionis, qui sunt, inconstantia & omne opus pravum. *vers. 16.* Argumentum hoc est: Ex quocunque nascuntur inconstantia & omne opus pravum: illud non est sapientia è supernis descendens, sed terrena, animalis & diabolica. Atqui ex sapientia, quam vos ambitis, & cui studeatis, æmulâ, contentiosâ, maledicâ, nascuntur inconstantia & omne pravum opus. Ergò non est sapientia è supernis descendens, sed terrena, animalis & dæmoniaca. Major per se claret. Minor probatur experientia etiam, quæ docet, quod ubicunque æmulatio & contentio est, ibi etiam sit inconstantia & omne opus pravum. *Paraphr.* *Durum vobis videtur, fratres, inquit Apostolus, quod de sapientia vestra æmula, contentiosa & maledica dixi, non è supernis esse descendentem, sed terrenam, animale[m] & dæmonicam? Atqui hoc verissimum esse, Effectus istius sapientia testantur: confirmat namq[ue] experientia, & apud vos quidem etiam ipsos, quod ubicunq[ue] æmulatio & contentio istius maledicæ sapientia sunt, ibi etiam sit inconstantia in bono, & ad omne pravum opus declinatio & prolapsus: quod negari non potest. Jam verò hi effectus non possunt esse Effectus sapientia è supernis descendenti, sed terrena, animalis & dæmoniaca.*

vers. 17.

§. 82. Redarguit hætenus Apostolus peccata, & refutat vit errores contra Tertium doctrinæ suæ punctum, h.e. sapientiam veram Christianam, pugnantes. Concludit hanc reprehensionem & refutationem. 1. Veræ sapientiæ egregia descriptione. 2. ad Christianum exercitium ejusdem admonitione.

Paraphr.

§. 83. Descriptio 1. veræ sapientiæ hæc est: *Quæ autem è supernis est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia & fructibus bonis, absq; dijudicatione, absque simulatione.* vers. 17. ostendi vobis, inquit Apostolus, errores vestros contra veram sapientiam cœlestem & Christianam pugnantes: & quod non cœlestis, sed terrena, animalis & damoniaca sit sapientia, cui vos studetis ambitiosè. Si jam contra scire cupitis, quanam illa vera cœlestis sapientia sit, cui studere, quamq; petere debeatis à DEO, paucis vobis dicam; *Quæ è supernis est sapientia, non consistit tantùm in nuda scientia, qua instat, sed in exercitio etiam Christianarum virtutum bonorumq; operum: non est ambitiosa, titulos Doctorum & alios honores affectans, non est emulata, contentiosa, maledica; sed primum casta est vel pura ab omni immunditie & virio, deinde pacifica est, pacemq; cum omnibus colit, modesta est, tractabilis, plena operibus misericordia aliisq; fructibus, absq; dijudicatione in fide consistans, & sine omni hypocrisi sincera & candida est.*

vers. 18.

§. 84. Hanc cœlestem sapientiam ut simul commendet Christianis, laudat eam à fructu & præmio ejus, quod est pax apud DEUM, eaque æterna. *Fructus autem, inquit Apostolus, justitia in pace seminatur facientibus pacem.* vers. 18. Hoc est: Operatur itaque, sicut dixi, sapientia, quæ è supernis est, opera justitia, castitatis, pacis, modestiæ, misericordiæ &c. & in fide quidem non hesit abunda, non simulata: fructus verò & præmium non desunt justitiæ isti apud DEUM, sed seminantur hæc in vitâ, in pace DEI omnibus dicto modo facientibus pacem, donec plenâ messe metant pacem istam DEI apud DEUM in adventu Domini nostri Jesu Christi, eademq; in omnem æternitatem.

vers. 13.

§. 85. Habemus descriptionem cœlestis sapientiæ, cum fructu ejus. Admonitionem 2. ad exercitium ejus Apostolus interspersit refutationi errorum: quâ verò non immeritò hoc tertium punctum claudimus. Monstrat autem Apostolus in eâ, quomodo sapientia Christiana ritè recteque exercenda sit: nimirum, non in affectandis Doctorum titulis & honoribus ambitiosis,

bitiosis, non in rixosis & maledicis disputationibus & contentio-
nibus; sed universim in tota conversatione vitæ Christianæ; in
quâ non Doctores tantum suam ostentare scientiam, sed omnes
Christiani suam prudentiam practicam piamque demonstrare
possunt. *Quis Sapiens & scientia præditus inter vos est? Ostendat ex Paraphr.*
bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ: non gloriatur
verborum pompa & scientia tumore, sed operibus bonæ & Christianæ con-
versationis apud omnes; non emulam, rixosam, maledicam sectetur, sed
veram, quæ mansuetæ & pacificæ est, sapientiæ: ad quam tandem, cum
omnes sapientiæ & scientiam ambire videamini, serio vos admonitos
volo.

CAPUT IV.

§. 86. Postquam Apostolus errores & peccata contra CAP. IV.
Tertium doctrinæ suæ Punctum, de sapientiæ cœlesti, pugnantiâ
reprehendit, refutavit, & utili admonitione conclusit: pergit ad
taxanda peccata contra Quartum Doctrinæ Punctum. Erat autem
Quartum Doctrinæ Punctum, suprà §. 13. propositum, de viro animi
duplicis h. e. viro non toto animo Domino adhærenti, sed partim
Domino, partim mundo ejusque voluptatibus & divitiis dedito.
vers. 8. Cujusmodi homines duplicis animi Apostolus vult Chri-
stianos nullo modo esse. Unde meritò taxat omnes, quotquot
contrâ peccabant.

§. 87. Peccabant autem contra illud Punctum Christia-
ni variè; prout varia in mundo sunt, quibus animi eorum dediti
erant. Quare necesse fuit etiam Apostolo peccantes in diversas
classes distribuere, & distinctè unamquamque classem redargue-
re. Prima itaque peccantium classis est eorum cordis duplicis
hominum, qui pauperes non tantum Dominum, sed voluptates
etiam hujus mundi amant, in quibus lautè vivere cupiunt. v. 1. 2. 3.
Altera classis eorum est, qui cor suum inter Dominum & adulteria
atque amicitiam mundi dividunt. vers. 4. Tertiam classem illi con-
stituunt, qui honoribus & vanæ gloriæ hujus mundi student, iis-
que superbiunt. vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Quartam Classem implent,
qui detrahunt famæ proximi, judicant & condemnant temerè,
vers. 11. 12. In Quinta Classe sunt, qui in negotiis hujus mundi,

quibus nimium implicantur, & avaritiæ lucroque dediti sunt: nimium sibi, & iusto minus divinæ providentiæ tribuunt, & confidunt. vers. 13. 14. 15. 16. 17. *Sexta Classis* habet divites, divitiis suis confidentes & pauperes opprimentes. Cap. V. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Hæ classes errantium sunt, quas distinctè omnes Apostolus reprehendit & corrigit.

vers. 1. 2. 3.

§. 88. Itaque *Prima I. Classis* errantium seu peccantium est eorum, qui non tantum Dominum, sed voluptates etiam hujus mundi, imò qui Dominum propter voluptates hujus mundi diligunt, ut ipsis in mundo bene sit. Hos homines *ἀψύχους* Apostolus 1. ita describit, *αἰτέτε, ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν διασπασήσθε. Petitis, ut in voluptatibus vestris expendatis.* Homines autem hi esse videntur, qui non ex avaritia & multa habendi desiderio opes hujus mundi appetunt, pauperes licet sint: attamen ebrietati & luxui ciborum dediti, opes, quas consumant luxu suo, conquirunt & petunt. Quem in finem à DEO opes hujus mundi partim petunt, partim aliis invidendo, & litigando, atque illicitè rapiendo, ad se trahunt, quæ aliorum sunt: quanquam in utroque decipi solent, & cum DEO atque hominibus non dantibus aut permittentibus exoptulare. Inprimis huc pertinere videntur, qui

Paraphr.

in Eleemosynis convivabantur Jud. vers. 12. *Audio, inquit Apostolus, esse inter vos homines ἀψύχους, duplicis animi, qui Christo quidem nomina sua dant, sed ebrii & luxuriosi atq; voluptuarij sunt, in Christianismo laeos dies pigrosq; querentes, DEUM hominesq; sollicitantes ad dandum ipsis, non alio fine, quàm ut in voluptates suas impendant.*

§. 89. Horum pauperum voluptuariorum peccata 2. gravissima taxat Apostolus nominatim aliqua. Ut sunt (1.) lites & bella, quæ movent in Ecclesia, rixando super paupertate suâ, quæ non adjuvetur operibus misericordiæ, quasi contra charitatem omnem Christianam à fratribus deserantur, imò quasi ipse etiam DEUS nulla erga ipsos moveatur misericordia. Vocat Apostolus *πολέμους καὶ μάχας*, bella & pugnas. vers. 1. & 2. (2.) nimia & inexplebilis concupiscentia; quâ factum, ut nunquam sat haberent, quia omnia statim consumebant. Hæc est *ἀθυμία*, concupiscentia, de quâ Apostolus; *ἀθυμῆτε, concupiscite.* vers. 2. (3.) invidia & æmulatio contra eos, qui plura habebant possidebantque

que, & (secundum multas editiones,) etiam cædes eorum. v. eod. Φθονείτε (aliæ editiones, Φονδύετε) καὶ ζηλεῖτε, *invidetis & emulamini.* (4.) Petitiō & oratio vana, quæ nihil impetrat: de quâ dicitur, αἰτῆτε, *petitis.* vers. 3.

§. 90. Peccatorum istorum 3. originem Apostolus indicat: vocatque τὰς ἡδονὰς τὰς σεξιδιομένας ἐν τοῖς μέλεσιν, *Voluptates militantes in membris*: quæ nihil aliud sunt, quàm peccatum originis, quod Apostolus Paulus appellat νόμον ἐν τοῖς μέλεσιν, *Legem in membris*: ad quod omninò pertinet amor voluptatum, deliciarumque, & luxus in cibo atque potu. Artificiose & emphaticè hanc peccatorum originem & causam Apostolus proponit per interrogationem conscientias convincentem. Unde, inquit *Paraphras.* Apostolus, *sunt apud multos vestrum bella ista & pugna rixarum & querelarum, quod deseramini in paupertate vestrà, nec habeatis, quantum, non tam indigeris, quàm concupiscitis, & devorare amatis? Conscientiam vestram ipsi interrogate, queso. Quod si feceritis: nonne respondebit, oriunda ista ex amore vitioso voluptatum luxusq; in cibo & potu; cui peccati originalis vitio ita indulgetis, ut militet & dominetur in membris, nec sat habeatis, nisi venter probe inferfus, & gula usq; ad ebrietatem bene lota sit? Certè hac verisimilior ratio est, quam negare nequitis.*

§. 91. Addit 4. Apostolus hominum istorum peccantium miseriam. Quæ (1.) in hoc consistit, quod nihil habent, & quod egentes semper manent. Quod bis Apostolus dicit, καὶ ἐκ ἐχέτε, *Et non habetis* scilicet quod concupiscitis, seu quod concupiscentiis & voluptatibus satisfaciat. vers. 2. (2.) frustratio desideriorum & petitionum: nam adipisci non poterant, propter quod aliis invidebant, & æmulabantur. *ibid.* non accipiebant, quod petebant. vers. 3. *Miseri,* inquit Apostolus, *estis interea & manetis homines.* Nam quod vehementer concupiscitis ex amore voluptatum in membris vestris militante, non habetis, sed perpetuò pauperes manetis: invidetis aliis, quæ habent, & emulamini ex invidia, sed per tantam vestram invidiam & æmulationem nihil consequimini. nisi quod invidia vestra vobis ipsis noxia est: pugnatu porro & expostulatis cum DEO & hominibus, quod vobis vestrusq; voluptatibus non tantum datur, quantum vos consumere potestis, sed pugnantes & contendentes non tamen habetis aut obtinetis: imò petitis etiam assiduis precibus, nec tamen accipitis, quantum vultis. O miseriam!

§. 92. Cu-

30.

29.

28.

33

2

8.

2

1

11.

3

4

1

ibid.

§. 92. Cujus verò miseriæ causam etiam ostendit §. Apostolus, quæ non in DEO, neque in hominibus, Ecclesia in primis, sed in ipsis peccantibus sit unicè. Ea verò duplex est: una, precum intermissio debitarum. Pro eo enim, quod DEUM necessaria petere, & ab eodem ea expectare debebant, illi preces debitas istas omittebant, promissione tantarum opum, quantæ luxui ipsorum sufficere potuissent, destituti, adeoque de exauditione & impetratione desperantes. Hoc est, quod dicit; *Non habetis autem, quia vos non petistis* h.e. pugnare potius & bellare vultis, seu impatienter rixari, expostulare cum ipso etiam DEO, apud omnes super miseria vestra, cujus tamen ipsi causa estis, querulari soletis, quàm, ut humiliter necessaria vitæ vestræ petatis, & iis, quæ ille in panem quotidianum daturus est, contenti esse velitis. verſ. 2. Altera, precum, si quando ab iis fiant, indignitas: quæ est, quod non petunt eo modo, eumque in finem, quo & in quem preces à Christianis fieri debent, ut promissione exauditionis gaudere, & ea, quæ petunt, impetrare queant: Unde non mirum sit, quod

Paraphr.

nihil accipiant. *Petistis, inquit, & non accipistis, propterea quod male petistis. Non nego, vult Apostolus dicere, quod aliquando etiam petatis à DEO, quæ desideratis, & tamen nihil accipiatis: verum culpa, quare nihil accipiatis, in DEO non est, sed in vobis ipsis. Licet enim petatis, non tamen eo, qui Christianis in scriptura præscriptus est, & cui promissiones divina annexa sunt, modo petistis.* verſ. 3. Hanc verò causam Apostolus statim probat à fine precum indigno, qui hic ipsis erat propositus, ut quicquid acciperent, voluptatibus suis impenderent. *ibid. Non enim, inquit, petistis, ut quotidianum panem habeatis, pauco contenti; sed ut accipiatis tantum, quantum voluptatibus vestris explendis satis sit, quibus omnia impenditis. Corrigite ergo animum moresque vestros, & accipietis petentes ritè, quod satis sit.*

verſ. 4.

§. 93. Altera II. peccantium contra Quartum punctum *Classis* supra §. 87. fuit eorum, qui cor suum inter DEUM & adulteria dividunt, atque sic amicitiam DEI simul & mundi affectant. Comprehenditur hæc classis verſ. 4. Ubi 1. homines hos, utriusque sexus, à vitio & peccato eorum denominat, & compellat; *μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, Adulteri & Adultera.* 2. peccatum eorum exprimit: quod est *ἡ φιλία τῆ κόσμου, amor mundi vel amicitia cum mundo,*

mundo, nimirum conjuncta pessimè cum amore seu amicitia DEI. Unde videtur Apostolus maximè saltem redarguere eos ex Christianis, mares feminasve, qui non tam carnalis voluptatis propriæ causâ, quàm ad retinendum vel obtinendum favorem gentili-um, adulterio se ab his pollui passi sunt. Cujusmodi procul dubio tum temporis in Ecclesia non pauci erant, qui, cum ante sui conversionem in adulterii delitiis à gentilibus habiti fuissent, non destiterunt ab immunditie suâ, ne, sicut saltem prætexebant, odium eorum incurrerent. Quomodo amicitiam cum mundo amicitia DEI præferabant. Vix enim aliàs scortatio vel adulterium etiam appellatur amicitia mundi. Neque etiam aliàs peccatum istud tam speciosum prætexum inveniebat, quàm hic est, quod libenter quidem ab eo abstinerent, nisi si num ipsis inde nascendum scirent periculum, odium, damnum. Sed neque hic prætextus quicquam valebat apud Apostolum. Quippe qui 3. graviter redarguit: & hoc quidem argumento; Quisquis voluerit amicus esse mundi, inimicus DEI constituitur (à seipso sc. per istam amicitiam mundi.) Atqui vos adulteri & adulteræ vultis esse amici mundi (juxta id quod prætextitis & facitis.) Ergò vos constituimini inimici DEI (à vobis ipsis per adulteria vestra.) Major in textu extat: *Quisquis ergò vult amicus esse mundi, inimicus DEI constituitur.* Eadem verò 4. Major probatur ab impossibilitate amicitia mundi & amicitia DEI: *amicitia mundi inimicitia DEI est.* Quæcumq; ita impossibilia sunt, ut unius amicitia sit alterius inimicitia; illa ita se habent, ut quisquis unius vult amicus esse, sit alterius inimicus. Atqui DEUS & mundus ita sunt impossibiles &c. Ergò. Major manifesta est, nec probatione indiget. Minor 5. quæ in textu est, probatur provocando ad conscientias doctrina Christiana satis informatas: eò quòd quicumque in Christianismo benè informati sunt, verissimam eam esse noverint. *O Adulteri & adulteræ, quotquot Christiani esse vultis, Paraphr. neq; tamen ab adulteriis vestris propter amicitiam mundi abstinētis, annon vos ex doctrina Christiana, de quâ satis informati estis, novistis hanc certissimam Regulam morum, quod amicitia mundi sit inimicitia cum DEO? certe pridem mecum coapostoli mei post Christum docuerunt clarè. (vid. Rom. II. 9. v. 7.) Ex hac verò Regula necessa-*

riò consequitur, quod quisquis vult esse amicus mundi, ille inimicus DEI constituatur. Quare impossibile est, ut vos veri Christiani sitis, & simul adulteria committatis propter amicitiam mundi.

vers. 5. sqq.

§. 94. Sequitur III. Tertia peccantium Classis: quam §. 87. diximus eorum esse, qui honoribus & vanæ gloriæ hujus mundi student, iisque superbiunt. vers. 5. sqq. Horum 1. peccatum Apostolus vocat φθόνον, Invidiam, καὶ ἐξοχλῶ; quia nullum facile peccatum majorem generat invidiam, quàm superbia nimiumque honorum studium. καὶ φθόνον, inquit, contra invidiam concupiscit Spiritus. Peccantes 2. hoc peccatum appellat ἀμαρτανῆς, peccatores, & διψύχους, homines duplicis animi, καὶ ἐξοχλῶ utrumque seu Antonomasticè: quia vix ullum peccatum gravius est superbia, quæ & multorum aliorum fecunda mater; nec aliud adeò duplicis animi homines facit, qui cor adeò dividant, quin plurimos planè ab ipso DEO & fide deficient. Proprio autem nomine appellat eosdem ὑπερηφάνους, superbos: DEUS, ὑπερηφάνους, superbis resistit. Redarguit 3. Apostolus peccatum hoc duobus in primis argumentis, ex scriptura depromtis. Quorum (1.) prius est à motu Spiritus Sancti contrario: quia nimirum Spiritus Sanctus, qui in Christianis habitat, motu suo sancto concupiscit & pugnat contra peccatum superbiæ concupiscentiamque ejus. Contra quod nimirum ipse sanctus motus Spiritus Sancti in Christianis fidelibus habitantis concupiscit & pugnat, id gravissimum peccatum, & omnibus Christianis fugiendum est. Atqui talis est invidia seu superbia. Ergò. vers. 5. Posterius (2.) itidem ex scriptura petiitum est à contrarii seu humilitatis commodo, quod est, augmentum gratiæ divinæ: siquidem scriptura dicit, quod DEUS superbis resistat, humilibus autem det gratiam. v. 6. Utrumque (3.) argumentum confirmatur autoritate scripturæ infallibili, & irrefragabili: an putatis, quod frustra dicat scriptura, &c? Atqui scriptura nihil dicit frustra, quod verum non sit, aut negligere liceat: neq; vos, ut spero, tam impij eritis, ut ejusmodi quid de ea effutire audeatis.

Paraphr.

§. 95. Alij inter vos sunt, inquit Apostolus, qui honoribus hujus mundi inhiant, & superbiunt usq; ad invidiam, adeò ut aliis invideant, si vel pluribus vel majoribus hujus mundi gaudeant. Miseri profectò

profec̄to homines estis, quot quot hoc facitis. Quid enim? Num putatis scripturam frustra dixisse, quod contra hanc invidam superbiam Spiritus Sanctus, qui in vobis, tanquam Christianis & renatis habitat, & corda vestra ad bonum movet, concupiscat in vobis, & pugnet, eamq; damnet? Certè, si Christiani adhuc estis, de Scriptura tale quid non opinabimini: nisi vos vani facti estis mentibus vestris, quod absit. Malè itaq; affectatis id, contra quod Spiritus pugnat, idq; damnat. Præterea si pro magna habetis gratia, si honoribus hujus mundi superbiere possitis: Spiritus Sanctus idem, qui Spiritus humilitatis est, humilibus longè majorem vobis in scriptura promittit, & reverà dat etiam gratiam, divinam scilicet: dicit enim; DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

§. 96. Redargutioni isti subjungit Apostolus 4. gravem admonitionem; qua omnes superbos & gloriam seu honores hujus mundi affectantes à peccato superbiæ dehortatur, & contrariam humilitatem commendat. Ubi (1.) describitur vera humilitas Christiana: quæ est, qua quis se DEO subjicit voluntatiq; ejus, & in conspectu ejus se humiliat. Est enim ὑποταγή τῷ Θεῷ, subjectio, quæ fit DEO, ταπεινωσις ἐνώπιον τοῦ Κυρίου, humiliatio sui coram Domino. vers. 7. 10. (2.) eadem in genere commendatur, & quidem cum mandato Apostolico h. e. divino; ὑποταγητε, subditi estote, ταπεινωθητε, Humiliate vos. ibid. (3.) in specie, in quibus consistat, exponitur. Nimirum, partim in emundatione manuum, & purificatione cordis duplicis; emundate manus vestras &c. vers. 8. partim in pœnitentia super peccatis commissis, cum seriæ pœnitentiæ signis; ut sunt, afflictio corporis, pro rilu luctus & ploratus, pro gaudio mœror; affligimini & lugete &c. vers. 9. (4.) objectionibus responderur. Objectio prior hæc est: si utique velimus nos subjicere DEO in humilitate, & superbiam ambitionemque honorum hujus mundi fugere, diabolus tamen non desinit nos tentare ad superbiam, & decipere. Respondet autem Apostolus, primò, resistendum esse diabolo in Spiritu Sancto: resistite diabolo. v. 7. deinde, promissione additâ victoriæ; Et fugiet à vobis. ib. Objectio posterior est; Cum DEus resistat, sicut dictum, superbis, non juvabit nos, si utique jam nos illi submitamus. Respondet Apostolus; Resistit quidem DEus superbis,

superbis, quamdiu tales sunt; sed si tamen vos appropinquabitis per humiliationem DEO, appropinquabit ille vobis gratia & remissione peccatorum: appropinquate DEO &c. v. 8. (5.) Promissio additur futuræ exaltationis certissima; Et exaltabit vos. vers. 10.

Paraphr.

§ 97. Cum itaq; inquit Apostolus, ita, ut dixi, res habeat, subjicite vos DEO ita, ut illi soli adhareatis, nec simul honores & gloriam hujus mundi affectetis. Quanquam enim verissimum est, quod diabolus, qui hactenus vos seduxit, vehementissimè in hoc laboraturus sit, ut gloriam mundi non negligatis, quam habere imprimis possitis, aut jam habeatis: tamen si illi in Spiritus Sancti virtute resisteritis, non prevalere vobis poterit, sed fugere à vobis cogetur: ut DEO vos subjicere omnino possitis. Quanquam etiam verissimum est, quod DEUM per superbiam longe à vobis abesse fecistis: nolite tamen de gratia ejus desperare, sed appropinquate DEO; certo enim tum DEUS vobis etiam appropinquabit. Et monstrabo vobis etiam rationem, quâ vos DEO appropinquare, ipsiq; vos submittere possitis. Purificate manus vestras, peccatores, à peccato superbiæ ejusq; factis, ut contra humilitati studeatis in verbis & factis; & mundate corda vestra, homines diabolici, ut uni DEO adhareatis, eiq; vos subjiciatis totos, & omnem affectum superbiæ exturbetis: quæ est renovatio vestra, quam Spiritus Sanctus in vobis operabitur. Ante omnia autem veram agite poenitentiam super superbiâ peccato & factis ejus: testatam reddite poenitentiam vestram per signa ejus; ut sunt, afflictio corporis, luctuosus habitus, lachryma ploratus: æquum namq; est, ut qui hactenus resistis, quando honoribus affecti estis & aucti, nunc è contrario poenitentes lugeatis: & qui hactenus gloriâ hujus mundi gavisus estis, nunc gaudium vestrum istud cum mœrore, ob peccatum in istoc commissum, permutetis. Quare denuò vos adhortor; Humiliate vos in conspectu Domini: idq; hoc promittis, quia certam habetis promissionem, quod vos suo tempore exaltaturus sit.

vers. 11. 12.

§. 98. Quarta IV. Classis peccantium supra §. 86. fuit eorum, qui famæ proximi detrahebant, proximum temerè judicabant & condemnabant. Quæ quidem Classis præcedenti superbiorum & ambitiosorum eò commodius subjicitur, quod nemo ferè magis famæ proximorum detrahit, eos judicat & condemnat,

demnat, quàm homines superbi: quippe qui, ut se magnos faciant & exalcent, proximos suos, quantum possunt, deprimunt. Hic habemus 1. manifestum interdictum Apostolicum; *Nolite detrahere vobis invicem, fratres*, quod maximè fit, judicando & condemnando vos invicem, quasi Christiano nomine indignos, & judicio condemnationis obnoxios. 2. Interdicti rationes. Quarum (1.) prima est desumpta à gravitate peccati; siquidem tantum peccatum est, ut, quisquis detrahit proximo suo, detrahat Legi, hoc est, ipsi DEO, non tantum homini. Argumentum hoc est; Quodcumque peccatum adeò grave est, ut non tantum contra proximum, sed ipsam etiam Legem atq; adeò DEUM ipsum committatur: ab eo omnibus Christianis abstinendum est. Atqui peccatum, quo vobis invicem detrahitis, tale est, Ergò. Major clara est. Minoris hoc fundamentum est, quia Lex peccatum istud prohibuit. Qui ergò istud committit, judicat Legem, quasi hæc malè prohibuisset. Nec satis hoc est: augetur namque gravitas delicti per hoc, quod qui detrahit proximo, & per hoc ipsi Legi, facit se superiorem Lege, tanquam judicem Legis, non autem observatorem Legis & Lege inferiorem: quomodo se DEO etiam superiorem facit, vel saltè parem. Atqui qui hoc facit, tantum committit peccatum, ut gravius committere nequeat. Omnino ergò ab eo abstinendum est. vers. 11. Altera (2.) ratio deprompta est, à judicis & detractoris impotentia, Argumentum hoc est: Quicumque non potest servare vel perdere proximum: ille non debet judicare proximum, aut illi detrahere. Atqui tu homo, qui judicas alium, non potes eum vel servare vel perdere, sed unus Legislator DEUS id potest. Ergò non debes etiam judicare eum, aut ei detrahere, sed omne judicium uni Legislatori permittere. vers. 12.

§. 99. *Audite*, inquit Apostolus, *hoc quoq; inter vos grassari peccatum, quo vobis invicem detrahitis.* Atqui hoc etiam peccatum est aliquod hominum διψύχων, duplicis animi: nam cor suum dividunt inter DEUM & seipfos, dum honoris, qui soli DEO competit, partem saltè vobis sumitis. Quare ab hoc quoq; peccato vos seriò revocatos volo, & hoc vobis in nomine Jesu do interdictum; *Nolite detrahere vobis, fratres, invicem, judicando alius alium, eumq; condemnare.*

G 3

demnan-

30.

29.

28.

33.

8.

3.

2.

2.

3.

4.

Paraphr.

demnando. Rationes hujus interdicti habeo & addo gravissimas. Nam quicumq; detrahit fratri suo, eumq; judicat, is ipsi Legi divina detrahit, eamq; judicat, quæ facere istud prohibuit; quasi nimirum sine ullo jure prohibuisset vobis. Atqui ipsi Legi ejusq; justitiæ & sanctitati detrahere, eamq; judicare, gravissimum sanè peccatum est, à quo serio abstinendum; cum nihil aliud sit, quam ipsi DEO, legis Autori detrahere, eumq; judicare. Neque hîc subsistit peccatum istud: quin per illud homo se iudicem Legis constituit, adeoq; Lege & ipso DEO vel superiorem vel parem saltem facit. Nam qui Legem ipsumq; adèd DEum judicare presumat, is iudicem se facit Legis ipsiusq; DEI, quod manifestum est: qui autem iudex Legis est, is non est observator ejus, hoc est, Legi subiectus Deoq; Legis Autori, sed vel utroq; superior vel saltem par. O crimen abominabile! Præterea propterea etiam à peccato detrahendi & judicandi vos invicem debetis abstinere; quia homines infirmi estis, qui neq; servare neq; perdere potestis quæquam ex propria potestate: sed unus est Legislator, DEUS, qui utrumque potest. At qui non potest servare aut perdere, h. e. iudicium exequi, illi etiam non competit judicare. Non audebis objicere, ô homo, qui iudicas alium, quasi possis servare & perdere. Quis namq; miser, quæso, es? an te ipse non nosti?

ψ. 13. 199.

§. 100. Quintam V. peccantium Classem constituerunt §. 86. illi, qui in negotiis hujus mundi, quibus nimium implicantur, avaritiæ & lucro simul dediti, nimium sibi ipsis, Deoque iusto minùs tribuunt, & confidunt. Nam hi quoque homines διψυχοι, duplicis animi sunt; quippe qui honorem providentiæ divinæ inter se Deumq; dividunt; adèd ut in negotiis hujus mundi putent se habere liberrimum arbitrium & potestatem, faciendi & efficiendi, quod velint. Peccatum hoc I. Apostolus in exemplo aliquo repræsentat: quo nimirum homines isti dicunt ad se invicem; Hodie & cras eamus in hanc civitatem, & faciamus ibi annum unum, & mercemur, & lucrum faciamus. Quasi nimirum nullâ hic ipsis opus esset divinâ providentiâ, sed ipsi soli sibi ad hoc omne essent sufficientissimi. 2. Peccantes linguamq; eorum corrigit, & quomodo tanquam boni Christiani sentire & loqui debeant, docet; dicendum ita esse; Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud: ut DEO providentiæque ejus se submit-

submittant, & ne in temporalibus quidem quicquam se sine DEO
facere posse agnoscant, Deumque deprecentur. 3. Peccatum hoc
redarguit, & damnat, inquit, *omnis gloriatio talis mala est*, ad-
eoque grave peccatum. vers. 16. 4. Magnitudinem & gravita-
tem ejus ab oculis ponit; *nunc autem gloriemini in arrogationibus
vestris*. ibid. Est nimirum peccatum tum vanæ de se suisque vi-
ribus gloriationis; tum nimix arrogantix, quâ plus homo sibi
arrogat, quàm potest, DEO autem ipsi detrahit. Tandem s. il-
lud refutat argumentis (1.) ignorantia futurorum: qui enim talia
dicunt, illos oportet esse præscies futurorum, ut certi sint, quid
crastino die futurum, & ipsi facturi sint. Atqui miseri isti igno-
rant omnia futura: quàm stultè ergò loquuntur, quasi scirent
omnia (2.) incertitudine vitæ propriæ. Turpissimum namq; est,
vitæ propriæ ne in horam quidem aut diem unum certum esse, &
dicere tamen atque gloriari, quid in annum usq; integrum facere
velis. Probat autem incertitudo ista à caducitate vitæ humanæ,
quæ nihil aliud, quàm vapor evanescens est, vers. 14. (3.) repug-
nantia cum Regula Christiana; *Si Dominus voluerit* &c. vers. 15.
Pro eo enim, quod illi dicere deberent, *Si Dominus voluerit* &c.
illi gloriantur, *Eamus hodie & cras* &c. vers. 13. Unde 6. conclu-
dit, & Regulam Christianismi atque admonitionem suam com-
mendat sub reatu peccati: igitur *qui noverit facere rectè* vel ex hoc
solo, quod jam dixi, *& non facit*, in posterum, *huic peccatum est*.
vers. 17.

§. 101. *Alij porrò inter vos sunt*, inquit Apostolus, *qui, nimium* Paraphr.
sibi in rebus & negotiis temporalibus arrogantes, in suo quasi omnia ar-
bitrio & potestate sint, nec DEO aut providentia ejus indigerent, neq;
preces neq; auxilium divinum curant. Sunt ex. gr. inter vos, qui ad se
invicem dicunt; Hodie & cras eamus in hanc civitatem, & faciamus
ibi annum unum, & mercemur, & lucrum faciamus, Dei nullam fa-
cientes mentionem, quasi res ad ipsum nihil pertineat ipsiusq; providen-
tiam. Quid verò? nonne hic estis *διψοχοι*, *duplicis animi homines,*
qui dividitis negotia vestra inter vos & inter DEUM? Spiritualia
quidem enim DEO utcumq; relinquitis; sed in temporalibus pro arbi-
trio vestro omnia proponere & efficere potestis, sicut vultis. Miseri
homines! Cras, inquitis, eamus. Atqui nescitis, quid crastino die
futurum

futurum sit: nescitis, num victuri sitis crastino die, nedum per integrum annum. Considerate enim, quaeso, quid vita vestra sit. Nonne sicut vapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & mox evanescit? Nonne, nisi DEUS vitam vobis conservet, in momento expirare cogimini? Et vos tamen audetis dicere; Eamus hodie & cras in hanc civitatem, & faciamus sibi annum unum. Contrarium prorsus facitis ei, quod boni Christiani facere debent, & faciunt: quorum hæc Regula & pium verbum; si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus hoc aut illud. Atq; sic DEUM providentiamq; ejus reverenter habent, nec sibi confidunt. Vos verò, qui aliter facitis, gloriamini, non in DEO, sed vestris arrogationibus, quibus nimium vobis tribuitis: qua gloriatio certè pessima est. Observate itaq; hoc, & facite; scitis namq; jam ex dictis, quid facere debeatis. Qui autem novit rectè facere, nec facit, peccato gravissimo tenetur.

CAPUT V.

CAP. V.

§. 102. Restat VI. Sexta Classis errantium seu peccantium διψυχῶν, duplicitate cordis: qui sunt divites, divitiis suis confidentes, & pauperes opprimentes. Hos I. Apostolus expressè nominat, οἱ πλεῖστοι, divites: non divites pii verò sunt, sed impii, & divitiis suis confidentes magis, quàm DEO; quomodo homines διψυχοὶ sunt, DEO & Mammonæ servientes. vers. 1. Contra eos 2. se accingit ad redarguendum eos; Agite nunc, divites; vobiscum enim jam mihi negotium erit, estque, quod meritò in vobis redarguam. ibid. Facta 3. eorum, quæ redargutionem merentur, refert. Ubi (1.) est, defraudatio mercedis operariorum: gravissimum sanè crimen. Ecce merces operariorum &c. v. 4. (2.) vita in deliciis transacta, sine misericordia erga pauperes & curâ eorum. In deliciis vixistis &c. vers. 5. (3.) injusta justorum innocentium condemnatio & occisio in judicando, cum respectu in primis personarum: sicut divites fora & tribunalia possidere solent, & personas respicere vers. 6. Prædicat 3. iis venturas misérias luctumque ingentem; plorate ululantes &c. vers. 1. Quæ sunt (1.) omnium divitiarum, sive vestimenta sint, sive aurum & argentum, sive thesauri alii, interitus. Divitia vestre putrefacta

sunt

sunt &c. vers. 2. 3. (2.) DEI adversus eos justissima ira, provocata clamoribus oppressorum. *Merces operariorum* &c. clamat, & clamores eorum in aures Domini, Sabaoth interierunt. vers. 4. (3.) occisio eorum, non tantum temporalis, sed in primis aeterna. *Nutrivistis corda vestra in die occisionis.* vers. 5. postquam excisio carniū sequetur: *Et exedet carnes vestras, sicut ignis.* vers. 3. Exponit 4. merita eorum, quibus tantas miseras promeriti sint. Quorum (1.) est confidentia in rebus plane caducis: divitiis putrescentibus, vestimentis tineis obnoxiiis, auro & argento arugine vitabilibus; omnibus in extremo die interituris. vers. 2. 3. (2.) stultitia imprudens, qua extremorum dierum propinquitatem non considerarunt, ut debuissent: *thesauros* (stulte) *congestistis in extremis diebus.* vers. 3. (3.) defraudatio mercedis operariorum messorumque injustissima. vers. 4. (4.) ventris, praesalutis cura bestialis, occisione digna: *nutrivistis corda vestra in die occisionis.* vers. 5. (5.) justorum innocentium oppressio, ex jure talionis condemnationem & mortem aeternam promerens. vers. 6. Probat 5. justitiam judicii divini, tanquam testimonium habentis rerum inanimatarum: *arugo eorum in testimonium vobis erit.* v. 3. Siquidem poenitentiam non egerint.

§. 103. Tandem agite, inquit Apostolus, ad vos accedo, divites avari, divitiis vestris impie confidentes. Vobis, nisi poenitentiam egeritis, dico, plorate ululantes: gravissima namq; vobis venient miseria & intolerabiles. Siquidem divitiae vestrae (quibus vos confiditis, cum res maxime caduca sine brevi putrescent, vestimenta vestra tineis obnoxia, ab his consumentur, aurum & argentum, quod adeo vobis placuit, arugine vitabitur: ita tamen ut arugo & caducitas eorum in testimonium sit contra vos, ad condemnandum vos in judicio divino, propterea quod rebus corruptibilibus magis confisi estis, quam Deo incorruptibili. Testabuntur autem contra vos per conscientiam vestram, quae carnes vestras sicut ignis exedet in extremo die, & in ipso inferno. Patefiet etiam stulta imprudentia vestra, eo quod thesauros congestistis, quasi in aeternum in mundo victuri sitis, cum tamen extremi jam insint dies. Defraudastis insuper operarios vestros, qui messorum mercede agros vestros amplos, nec dedistis illis eam, ut debebatis; quomodo coegistis eos clamare ad Dominum Sabaoth, in cujus aures etiam clamores eorum introierunt, iramq; Domini gravem justamq; contra

H

vos

30.

29.

28.

33

3

2

2

3

4

vos & iudicium excitarunt. Præterea divitiis vestris ad delicias, luxus & lascivias abusi estis, in quibus vixistis, & corda ventremque vestrum nutritivistis, misericordie erga pauperes prorsus immemores. Quin imò justos quoque, pauperes sine omni miseratione condemnastis in iudiciis pro tribunali sedentes, maxime in gratiam divitum adversariorum, quorum personas respexistis: neque tamen restiterunt vobis, aut resistere potuerunt iusti isti, quod atrocius peccatum vestrum reddit. Et hætenus peccantes de Luxu, duplices animo, contra quartum doctrinæ Apostolicæ punctum.

§ 104. Quintum denique doctrinæ Apostolicæ & fidei Christianæ punctum, Cap. I. vers. 12. propositum, erat supra §. 17. Perseverantia & patientia fidelis etiam sub afflictionibus hujus mundi quibuscunque. Contra hoc errantes & peccantes impatientia afflictionum inter Christianos fuisse, noverat quoque Apostolus. Hos itaque castigavit etiam; sed planè paternè, hortando potius leniter ad patientiam in omnibus afflictionibus, quàm severè reprehendendo. Impatientia autem laborabant, quidam Christianorum non simplici, sed multiplici. Ex quibus 1. est, impatientia tardantis sub afflictionibus adventus Domini: significata verbis; *Patientes itaque, estote, fratres, usque ad adventum Domini.* v. 7. Quà admonitione non fuit opus, nisi quibusdam ex impatientia sub afflictionibus visus fuisset Dominus, nimis diu tardare adventum suum. 2. Impatientia injuriarum ab aliis illatarum: significata verbis; *Nolite ingemiscere aliis adversus alium.* v. 9. Vult enim Apostolus eos non facere, quod hætenus fecerunt. 3. Impatientia in infirmitatibus corporis: significata verbis; *Infirmatur quis inter vos, (non sit impatiens, sed) accersat presbyteros Ecclesie &c.* vers. 14.

vers. 7. 8.

§. 105. Prima, 1. impatientiæ speciei Apostolus opponit (1.) suam ad patientiam & longanimitatem admonitionem, quando dicit; *Patientes igitur usque ad adventum Domini.* vers. 7. Admonitionem suam (2.) commendat rationibus. Quarum prior per simile Agricolaë in hoc mundo proponitur; *Ecce, Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter expectans illum, donec accipiat pluviam tempestivam & serotinam.* ibid. Unde argumentum à Minori ad majus: Si agricola hujus mundi, postquam sementim jecit, patienter expectat fructum terræ pretiosum quidem, sed

sed parum utilem, ejusque causa tempestivam & serotinam
pluviam: multò magis nos, postquam Christiani facti sumus,
certamque habemus promissionem, patienter expectare debemus
adventum Domini nostri Jesu Christi, in quo incorruptibilem
fructum fidei nostræ metemus, & intereà consolatione, pluviae
cœlestis, Spiritus Sancti, in afflictionibus non destitutum nosiri
firmiter credere. Atqui prius de agricola hujus mundi verissimum
est: Ergò patientes etiam vos nobiscum esse debetis usque ad ad-
ventum Domini. Quæ conclusio extat vers. 8. Posterior ratio,
à propinquitate adventus Domini desumpta est, his verbis conten-
ta; *Et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropin-
quat.* vers. eod. Unde Argumentum: Q. adventus Domini ap-
propinquat seu propinquus est, illi meritò confirmare corda sua
debent ad patientiam & perseverantiam in fide usq; ad adventum
Domini. Atqui vobis, fratres, adventus Domini appropinquat
seu propinquus est. Ergò confirmate corda vestra ad patien-
tiam & perseverantiam in fide usque ad adventum Domini.

§. 106. *Depositis itaq; inquit Apostolus, omnibus iis, quos Paraplat.*
*hactenus redargui & confutavi, erroribus & peccatis, unum hoc su-
perest, fratres, ut vos ad patientiam in afflictionibus hujus mundi &
perseverantiam in fide adhorter. Intellexi enim, quod non pauci inter
vos impatientes sint, quorum impatientia perseverantiam eorum in fi-
de, quam verò punctum doctrina mea requisivit, dubiam & incertam
facere potest. Primò namq; inter vos esse audio ejusmodi impatien-
tium genus, qui adventum Domini nostri Jesu Christi alterum impa-
tienter ferunt tardare, quasi nunquam futurus sit. Ubi serid vos ad-
monitos volo, ut hanc impatientiam fugiatis, contra autem cum pati-
entia longanimitate & in fide perseveranti adventum Domini, tanquam
certò suo tempore venturum, expectetis. Nonne enim in his tempora-
libus rebus etiam patientia opus est, ut expectentur bona ventura, quæ
caduca sunt tamen? quanto verò magis cum patientia & perseveran-
tia expectare debemus bona aterna & incorruptibilia adventus Domi-
nici? Quemadmodum itaq; exempli causa, agricola non statim, ex
quo sementim jacit, pretiosum fructum terra metere potest, sed expe-
ctare cogitur patienter, & libenter etiam expectat primò pluviam tem-
pestivam & serotinam, ac deinde fructum terra exoptatum: sic vos
etiam patienter in perseverantia fidei expectate adventum Domini.*

postquam in eum credidistis, certi de auxiliatrice pluvia cœlesti Spiritus Sancti interea, donec suo tempore Dominus ipse adveniat, vosq; in plenam messem vitæ æternæ & gloriosi gaudij immitat. Eo magis autem facere hoc, & corda vestra ad patientiam perseverantem confirmare debetis, quia adventus Domini in propinquo est, nullo modo emansurus: temporis itaq; exigui, quod ad apparitionem ipsius superest, moram haud egre ferre debetis.

vers. 9. sqq.

§. 107. Altera 2. Impatientiæ species est, qua factum est, ut injuriarum à proximis illatarum, ut videbatur saltem, planè essent impatientes, aded ut ad DEUM alter contra alterum ingemisceret, & vindictam peteret, vel ipsi etiam juramenti malediceret, & pessima quæque imprecaretur. Huic impatientiæ generi (1.) Apostolus duplex opponit interdictum: unum; *Nolite ingemiscere alius adversus alium, fratres.* vers. 9. Alterum; *Ante omnia autem, fratres nolite jurare &c.* vers. 12. Addit (2.) rationes & momenta. Tum ab incommodo, condemnationis scilicet propriæ: *ne condemnemini.* v. 9. Juxta nimirum dictum Salvatoris; *nolite judicare, ne judicemini.* Matth. VII. v. 1. Tum à peccato irruptionis in alienum officium, DEI scilicet adeoque criminis læsæ Majestatis divinæ: *Ecce, iudex, qui DEUS est, ante januam assistit.* ibid. Hujus judicium est, non nostrum: & judicium ejus cum profè sit, nobis patienter expectandum est. Tum ab Exemplo afflictionis & patientiæ in Prophetis extanti: *Exemplo accipite, fratres mei, afflictionis ac patientiæ, Prophetas &c.* v. 10. Tum à gloria & deprecatione communi eorum, qui patienter omnes injurias & afflictiones sustinuerunt: *Ecce, beatos dicimus &c.* v. 11. nominatim Ijobis, viri patientissimi: *Tolerantiam Ijobi audistis &c.* ibid. In cujus exemplo aliquot particularia argumenta comprehenduntur: *partim*, tolerantia seu patientia ejus egregia. ibid. *partim*, finis Domini, quem afflictionibus ejus exoptatum dedit. ib. *partim*, miseratio misericordiæ divinæ, condonantis afflictis infirmitates, & bonum exitum dantis. ibid. Tum à periculo hypocriseos, quod omninò vitandum est: *ut ne in simulationem incidatis.* v. 12. Quod periculum imprimis ex juramentis & maledictionibus oriundum est. (3.) Errorem corrigit, de eo, quod piè & Christianè faciendum, instruendo: *partim*, in afflictionibus & inde oriundo mœtore, ubi orandum est ardentè ad DEUM pro nostri in patientia

tia

tia sustentatione: affligitur aliquis inter vos, ore. vers. 13. partim, tempore lætiori & tranquilliori, pro quo DEO psallendum, & gratiæ agendæ sunt: bono animo est aliquis, psallat. ibid.

§. 108. Secundòs inquit Apostolus, audio inter vos esse impa- Paraphr.
zientes aded injuriarum à fratribus, ut putant, sibi illatarum, ut alius ad-
versus alium querulus ingemiscat, divinam vindictam imploret, conde-
mnet, & maledictis impetat. Hic verò non possum non improbare, quod
facitis. Non enim piium, justum, Christianum est, vos, fratres, alium ad-
versus alium vindictæ cupidine ingemiscere; adeoq; non facere debetis istud.
Quod si enim feceritis, metuumdum vobis est, ne à Domino vos, qui vindi-
ctam ipsius imploratis, ipsi condemnemini. Indignissimum præterea est,
vos in propria causa judices vos constituere, & officium summi judicis, quò
DEUS est, vobis rapere, nec tantillum temporis patienter expectare adven-
tum ejus ad judicium, qui instat, & propè est: Longè aliud vos docent ex-
empla Sanctorum, fratres, inprimis Prophetarum, qui loquuti sunt in no-
mine Domini, innocentesq; summas injurias, afflictiones, persecuciones pa-
tientissime sustinuerunt, & omnem causam suam DEO permiservunt, imò
pro hostibus etiam suis orarunt. Porro, ecce vos ipsi nobiscum beatos de-
pradicatis eos, qui varias afflictiones patienter sustinuerunt. Nota ma-
ximè vobis patientia Jobi, tantoperè in scriptura commendata: ubi simul
vidistis finem exoptatum afflictionum ejus, quem Dominus illis dedit, ex-
mera suà, quæ dives est, misericordià, ut ultrò etiam infirmitates, quas
passus est, ipsi condonaverit. Qui ergò in aliis laudatis tantoperè patien-
tiam, cur ipsi patientes non estis, & eandem gloriam atq; beatitudinem pie
ambitis? Omnium autem maximè improbo, quod maledictis invicem cer-
tatis quasi, & juramentù vos ad vindicandas injurias tenendamq; earum
memoriam obligatis. Indignissimum sanè est Christianismo vestro, vos,
qui omninò non debetis temere jurare, & jurando vos ad aliquid obligare,
sed quorum verbum debet esse, Ita, ubi ita se res habet, vel non, ubi res non
ita habet, obligare vos ad id, quod impium est, vindictam propriam de fra-
tribus. Ab hoc malo si non abstineritis, quomodo vos de hypocriſeos cri-
mine, in quod inciditis, excusabitù? qui enim dilectionem etiam erga ini-
micos profitemini, vindictam à fratribus, quantum in vobis est, sumitis,
injuriarum etiam levium impatientissimi.

§. 109. Tertia 3. Impatientiæ species ægrotorum est, qui mor- ¶. 14. 199.
bos suos ægerimè ferunt, & acerbè querulantur, unà cum dome-
sticis suis: Peccasse enim hac ratione multos Christianorum, ita

ut non agnoverint debito modo peccata sua, quibus morbos pro-
meriti fuerant, neque oraverint DEum pro sanitatis restitutione,
contextus docet. Cur enim jubet eos confiteri peccata: nisi quia
ultrò non agnoscebant. Cur adeò preces urget, & de exauditione
spem facit? nisi quia illi parum orabant, & de fructu precum
ex impatientia desperabant. Corrigit ergò (1.) Apostolus istum
impatientiam gravem errorem, propositis salutaribus præceptis,
quomodo se in morbis tanquam boni Christiani, vitatâ omni im-
patientia, gerere debeant. Quorum prius est, ut medijs Ministe-
rii publicis piè utantur, arcessitis presbyteris Ecclesiæ: cujusmodi
media sunt, *tum* preces publicæ, quibus presbyteri Ecclesiæ utan-
tur. *Et orent super eum* vers. 14. *tum* donum miraculosum ungenti
ægrotos oleo in nomine Domini, ibid. Posterius autem est, pre-
ces privatæ unius pro altero cum peccatorum confessione, *Confite-
mini invicem &c.* v. 16. Addit 2. promissionem exauditionis:
cujus effectus *partim* sanitas corporis, *Et preces fidei servabunt labo-
rantem.* v. 15. *partim* remissio peccatorum; *Et si peccata commissa ha-
buerit, remittentur ei.* ibid. (3.) Istam precum efficaciam confir-
mat exemplo Eliæ insigni: in quo duplex notatu dignus invenitur
precum effectus; unus, inhibitorum per preces pluviarum tribus
annis cum dimidio; *precatione enim precatus est, & non pluit super
terram annos tres & menses sex.* v. 17. alter impetratarum pluviarum;
Et rursum oravit &c. v. 18. Si quis objiciat, Eliam longè sanctio-
rem virum fuisse, nobiscum non comparandum, ut ab exemplo
precum illius ad preces nostras argumentari non liceat. Occupat
hanc objectionem Apostolus, dicitque, Eliam fuisse hominem,
similiter affectionibus obnoxium, ut nos: neque valere hic re-
spectum personarum, sed omnem precum exauditionem in pro-
missionibus divinis fundatam esse. De quibus minimus fidelium
promissionem divinam habet, in iis de precum exauditione per
fidem tam certus esse potest: quàm certus esse potuit Elias in per-
petrandis miraculis, vers. 17. Modò sit deprecatio iusti per fidem,
& efficax seu devota; qui modus orandi nullo modo negligen-
dus est, vers. 16.

Paraphr.

§. 110. *Sed & aliud,* inquit Apostolus, *impatientium hominum
genus inter vos deprehenditur; eorum nimirum, qui quando morborum
doloribus afficiuntur, diuturnis, maxime, impatientissime serunt. Deumq;
& ho-*

& homines incusant. Non ita, fratres, se gerere debent, qui boni Christi-
 tiani esse & videri cupiunt. Ego longè altam, eamq; longè meliorem ra-
 tionem, juxta quam vos in morborum infirmitatibus gerere debeatis, præ-
 scribam vobis. Si quis igitur infirmatur inter vos, & morbo aliquamdiu
 tenetur: primò quidem de publicis Ecclesia cogitans precibus & mediis
 (præter medicamenta naturalia) accersat ad se presbyteros Ecclesia, qui
 venientes super eo orent, oleoq; in nomine Domini, quod miraculosum ad-
 huc in Ecclesia viget remedium, eum ungant, sanitatis reddendæ causa:
 privatas deinde etiam domesticorum amicorumq; preces commendatas ha-
 beat, quas ita domi instituant sine omni ira unius adversus alterum, ut con-
 fiteantur invicem alius alij peccata, & remittant, ne exauditionem præ-
 cum impediant, cumq; orent pro egroto devotè atq; assiduè, ut sanus fiat. Hæc
 Christiana ratio est gerendi se in morborum infirmitatibus. Quâ si rectè usi
 fuerint, promitto vobis, fore, ut oratio fidei salvum ex morbo faciat, ut ro-
 rantem, & si in peccatis, quæ prius fecerit, & ob quæ morbo castigatus
 fuerit, deprehensus sit, remittantur ei, ablata castigationis simul penâ.
 Volo namq; vobis hoc persuasissimum esse, quod oratio hominis per fidem ju-
 sti, si devotè & in fide promissionum divinarum facta fuerit, plurimum
 apud DEUM valeat. Ad quod probandum sisto vobis exemplum Elie Pro-
 pheta. Ubi ne quis forte objiciat, Eliam longè alium virum fuisse, quam
 fideles egrotantes sint: occupo & dico, fuisse Eliam virum humanis affe-
 ctionibus obnoxium, sicut nos, ut si justior nobis fuerit, non tamen perfectâ
 & propria justitia coram DEO consistere potuerit, sed in precibus suis divi-
 nis promissionibus, non suis meritis, mixus fuerit. Unde in quo preces cu-
 juscunque fidelis promissionem divinam habent, in eo tam valida sunt,
 quam valida fuerunt preces Elie propheta. Hujus itaq; Propheta preces
 quantum apud DEUM valuerint, ex scriptura sacra ostendo. Nam ali-
 quando petiit à DEO, ut cælum clauderes, nec pluvia ulla cœlitus venires
 super terram per annos tres & menses sex: & factum ita est à DEO. Post-
 eâ rursum oravit DEUM, ut pluviam daret terræ: & statim pluit super
 terram, terra autem uberem suum fructum protulit. Multum sanè hic
 valuerunt unius viri preces apud DEUM. Id verò propter nos nostramque
 doctrinam scriptum est.

§. 111. Hucusque se extendit Tertia Epistola Apostoli nostri verf. 19. 20
 Jacobi Pars, quam esse diximus Errorum factorumque, doctrinæ
 Apostolicæ quinque Capitibus præmissæ adversantium, Confu-
 tationem & redargutionem. Restat itaque Quarta Epistola Pars,
 quæ

30.

29.

28.

33.

27.

8.

3

2

1

11.

3

4

1

1

1


quæ est *Conclusio*. Continet autem hæc Salutarem Admonitionem ad studium convertendi peccatores ab erroribus ipsorum. Hanc 1. Admonitionem Apostolus ex proprio suo exemplo extraxit. Sicut enim hæctenus in parte Tertia, eaque potissima, Epistolæ errantes redarguit, & ab erroribus revocavit: ita vult fideles fratres exemplum suum imitari, & doctrinam suam suis etiam adhortationibus erga peccatores adjuvare. Convenientissima itaque est materiæ, quæ præcessit, *Conclusio*. Admonitio 2. ipsa latet in verbis; *Fratres, si quis inter vos erraverit, & converterit quis eum*, quod scilicet vos, ut omni studio faciatis, admonitos omnes & sermone volo, *sciat* &c. v. 19. Admonet itaque, ut errantes à veritate veri Christianismi, in fide & moribus, studeant convertere, & ad veritatem reducere. Commendat 3. hoc convertendi peccatores studium ab ingenti ejus utilitate seu commodo. Nam *si quis peccatorem converterit ab errore via sua* (1.) *salvam facit animam ex morte*. v. 20. Et (2.) *operiet multitudinem peccatorum* ipsius per remissionem eorum in Christo Jesu, ad quem conversus est. ibi. Eam 4. utilitatem certissimam facit. *sciat* scilicet. certò. ibid.

Paraphras. §. 112. *Concludo verò jam*, inquit Apostolus, *Epistolam, subjunctam in fine ejus salutari ad vos Admonitione de fraterno corrigendi & convertendi peccatores errantes studio: cujus in hac ipsa Epistolâ hæctenus meum habetis exemplum. Admonitos itaq; vos volo, fratres, ut, ne quis fratrum peccet, curetis & præcaveatis: quod si tamen, sicut sapius fieri solet, frater quis inter vos à veritate Christianismi sive in fide sive in moribus, erraverit, solliciti de hoc omnes sitis, ut eum ab errore ejus revocetis. Hoc namq; pro certissimo scire vos volo, quod ingentem opus hoc utilitatem habeat: siquidem hæc ratione, quando quis peccatorem ab errore via converti fecerit, non tantum anima ejus à morte liberatur, & vita, qua ex Deo est, restituitur, sed etiam multitudo peccatorum operitur in Christo Jesu, omnium peccatorum propitiatore.*

§. 113. Atq; sic cum bono Deo exegimus Epistolæ Divi Apostoli Jacobi, semper difficillimæ visæ, Resolutionem & Paraphrasin. In quo labore nostro quid præstitum sit, aliorum judicio permitimus. Fortè tamen apparebit, Epistolam hanc non inter postremas, minus planè è Canone librorum divinatorum rejiciendam esse. Nos interea DEO ter Optimo Maximo pro gratiâ tam absolvendi quàm inchoandi laborem hunc nostrum concessâ gratiâ agimus maximas, qui etiam eundem non inutile esse jubeat per Jesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

SOLI DEO GLORIA.


✽✽✽



3.

0


6.




3.

0

5.





37.

נשם השם

CITATIO

IN
ULTIMUM PRO-
CÆ ULTIMI.

Quam
annuente gratia

PRÆSIDIO

*Reverendi, Amplissimi
Excellentissimi,*

SARIS SCHEIDII,
CTORIS ET PROFESSO-
eberrimi Patroni & Præcept. sui
imum venerandi.

entilationi proponit

ORUS MAURITII,
aco-Marchicus.

Diem Augusti.

NTORATI,

STÆDELI ACADÉ-
TYPOGRAPHI.

DC LXIV.

29
39
42

D

